



**Ioannis Sleidani orationes duae. : Vna ad Carolum Quintum  
Caesarem. Altera ad Germaniae principes omneis, ac ordines  
Imperij. Nunc primum excusae, Cum Praefatione, qu[a]e  
paucis argumentum explicat.**

<https://hdl.handle.net/1874/429764>

4

l

IOANNIS SLEI  
DANI ORATIO,  
NES DVAE.

Vna ad CAROLVM Quintum  
Cæfarem.

Altera ad Germaniæ PRINCI  
PES omneis, ac ordines  
Imperijs.

Nunc primum excusæ,  
Cum Præfatione, quę paucis argu  
mentum explicat.

ARGENTINAE.

M. D. XLIII.



1512  
1512

DANI ORATIUS

EST DAVIS

VAN GABRIEL VAN GROEN

EMERSON

YEAR OF CHRISTIAN PRINCE

PREGATORIUS ET ORATIONIS

IMPERIUS

YANNES BLOOMER SECRETARY

CUM DISCUSSIONE DIC BONIS INGEN

DISCUSSIONIS QUILIBET

YANNES BLOOMER SECRETARY

ANNO MDCCLXVII

IN LONDINIENSIS LIBRARIÆ

IOANNES SLEIDANVS  
Lectori S. D.



Criptæ sunt à me lingua Germanica O-  
rationes duæ, quæ prodierunt sub no-  
mine Baptiste Lasdeni, & prodierunt  
sub eo nomine, non tamen mea quadam  
sponte, quām sic uolentibus amicis, qui putabant  
meis rationibus ita conuenire, quāmdiu non essem  
in Germania, ijsq[ue] locis hærerem, in quibus argu-  
mentum hoc minus gratum est, atque plausibile.  
Quantum enim ad me pertinet, liberalius & magis  
ingenuum semper esse putaui, non dissimulare uel  
tegerenomen in libro, quem edí quis uelit, ne quid  
agi uideatur callide magis quām uerē, tametsi fieri  
posse non negarim, ut sit locus aliquando dissimu-  
lationi. Germanicē uero scripsi non alia de causa,  
quām ut ijs, ad quos propriè pertainent, melius intel-  
ligerent, quæ causa fuit etiam, ut alteram ad Cæsa-  
rem, Gallica lingua perfecerim: Evidem hoc so-  
lum spectaui, ut Cæsar, quem reuerenter agnosces-  
re debemus & colere, ueluti præcipuum & summū  
Germaniæ Magistratum, expediat se ab ijs uin-  
culis, quæ cursum ipsius remorantur, quò minus,  
quod res ipsa postulat, temporumq[ue] ratio, perficiat.  
Qui secus interpretantur, iniuriam mihi faciunt,

A ij quod

P R A E F A T I O.

quod per hæc comitia quidam fecisse dicuntur, sed  
per pauci quidem illi, quorum iudicis nihil moueor.  
Verum propter alios, ipsorum planè dissimiles, qui  
bus fortasse non improbabitur hic meus labor, us  
tranc̄ orationem Latine iam scripsi, quarum illa, que  
est ad Imperij Principes, commemorat ortum, incre  
mentum & occasum Pontificatus. Altera, quæ  
Cæsari est dicata, posteaq; ostendit, hanc Religiō  
nis causam, quæ controuertitur, à Deo profectam  
& excitatā esse, demonstrat, lusiurandum illud, quo  
pontifici Cæsar est obligatus, tyrannicum esse, neq;  
uim ullam habere, & hæc quidem est posterior. Il  
lam ergo, quia tempore prior est, anteposui, quibus  
dam in ea mutatis & adiectis, ob ea, que non ita pris  
dem in hanc causam inciderunt. Cæterum ea, quæ  
pertinent ad pactiones & res gestas Regum & Pon  
tificum, nostris præsertim temporibus, perita sunt  
ex ipsis regum scriptis, quorum aliqua sunt excus  
a typis, alia, licet nondum promulgata sint, ipsum  
tamen fortasse tempus aliquando proferet. Hæc  
sunt, de quibus te commonefaciendum esse,

Lector, putaui. Vale. Argentorati,

septimo Calendas Iulij

Anno

M. D. XLIII.

Ioan-

IN ACITIS OITATO  
IOANNIS SLEI  
DANI ORATIO AD  
Principes ac Ordines omnes  
Imperi.



T S I P Ræter decorum esse  
uideri possit, hominem priua-  
tum instituere sermonem apud  
uos, Illustrissimi Principes, qui  
& ipsi magnam habetis rerum  
prudentiam, & consiliarijs or-  
nati estis, uiris sapientissimis;  
Tamen, quoniam exulceratissima sunt hæc nostra  
tempora, quoniam in deterius omnia pedentem  
abeunt, & quia maxime sunt, tam publicè quam pri-  
uatim offensiones animorum in Germania, putau-  
me facturum ex officio, si forte possem, & uobis  
prodesse & communī patriæ, ut nihil in eo præter-  
mitterem. Dicit enim eò me natura, quæ totum  
quidem genus humanum, & omnes ubiq; gentes  
nobis commendat, in primis autem eos, à quibus  
ortum habemus & educationem. Ut igitur in hanc  
partem, ea, quæ sum dicturus, accipiatis, uehemen-  
ter obtestor. Medea Poëtarum celebrata scriptis,  
miseriam & infornia sua deplorans, ait inter cæ-  
tera, uidere se quidem id, quod rectum est, non ob-

A ij tem

## ORATIO SLEIDANI

temperare tamen, & sequi deterius consilium. Hac etiam ætate nostra, multi, non dubium est, uident, qua ratione iuuari possit, atq; ex his malis eripi Germania, sed negligunt, & incogitantia quadam perpetua differunt, quasi tempus ipsum aliquam sitas laturum medicinam, cum interim tamen uideant aliam ex alia nasci calamitatem. Et primum quidem cogitandum est, quemadmodum ad uos delata sit Imperij dignitas, & considerandum uobis, quantum sit hoc Dei beneficium. Nec enim leue est nomen Imperij, & nihil existit in rebus humanis aut illustrius, aut sublimius. Nam quoque Deus transtulit illud, ibi quoque magnum semper esse uos habuit prestantissimorum ingeniorum prouentum, & alias complures eximias dotes adiunxit, ut sine quarum accessione tanta rerum moles recte gubernari non possit. Elaborandum est igitur uobis, clarissimi Principes, ut hanc ipsam Imperij formam, in angustias nunc redactam, & modicis finibus inclusam, si non augeatis & amplificetis, ita retineatis tamen & conseruetis, ne transferatur a uobis ad externos, quemadmodum a Græcis ad Romanos transiit, quorum tam est humile primordium, ut nisi miraculo tribuatur totum & diuinæ potentiae, humana mens comprehendere non possit, quomodo in tantam molem excreuerint. Posteaquam enim facinorosis hominibus Asylum ibi patefactum fuit, ac ueluti portus, in quem se reciperent, coaluit ex ea multitudin

## AD IMPERII PRINCIPES.

titudine ciuitas, qui deinde uicinos populos maximis affecerunt iniurijs, eripiendo non solum bona, sed uirgines etiam filias è complexu & sinu parentum. Quæ quidem fuit prima belli causa. Et quoniam à Deo præfinitum erat, ut in immensum crescerent, quotidianis prælijs ita paulatim aucti sunt, & locupletati, ut Italia minime contenti, bellum etiam inferrent exteris nationibus, & egressi limites, Africam quoq; & Asiam tentarent. Qua ipsorum fortuna concitatæ aliae gentes, uoluerunt impetus eorum, si non frangere, saltem cohercere, ne longius euagarentur. Hoc in primis conati sunt Carthaginenses, ac tanto quidem ardore, ut non modo non depellerent à se uim hostilem, sed de summa quoq; rerum decertarent cum ipsis. Quæ tamen res infelixiter eis accidit, & ultimam demum calamitatem attulit, eò qd sic esset haud dubie statutum à Deo, ut Romanum Imperium esset omnium longè potentissimum, ac suos haberet annorum terminos.

Armis igitur & ui suam potentiam non modo stabiliuerunt initio, sed & conseruarunt deinceps, & labefactatam restaurarunt, donec tempus à Deo constitutum, & sacrī notatum literis, totum exijsset, ac alijs, uelut insititiis quidam princeps, ac dominus esset exortus Romæ, in ipsa Imperij sede, & tanquam ad latus Romani Cæsaris. Qui quidem nouus princeps, nullam initio dabat significacionem, quasi cogitaret Cæsaris autoritatem immis-

A iij nues

## ORATIO SLEIDANICA

nuere, sed Ecclesiæ tantum negotia curabat, & quādīu hoc solum agebat, tamdiu florebant Cæsarī Imperijq; uires. Postea uero cœpit cogitare, quemadmodum illam religionis & sanctitatis opinionem, fructuosam sibi faceret, ideoq; Cæsarem non dubitauit interpellare, quò principatum obtineret in omnes alias Ecclesiæ, hanc prætendēs causam inter alias: Romam & suisse, & habitam semper esse rerum dominam, & nunc adeo facile primū sibi uendicare locum inter omnes orbis Christiani ciuitates: æquū igitur esse, ut eius urbis Episc, građū & dignitate præstaret alij. Difficillimū hoc fuit eis impetrare: Nam ut Cæsares maxime uoluissent, aliarum tamen gentium Episcopi, summa contentione repugnabant, causas etiam, cur id faceret, adferebāt graues & legitimas, ita quidem, ut esset diuturna lis, & intricata ualde, recusantibus alijs Episcopis, & ipsum non aliter agnoscentibus, quam ut collegam, & æquali cum ipsis potestate præditū. Nihil tamen interim remittebat hic de suo ardore, sed instabat perpetuō, donec à Phoca Cæsare, quod uolebat, impetrasset. Hoc tanto munere & priuilegio tam insigni, decebat eius animum expletum & satiatum esse, adeoq; uideri possit ut cung; tolerabile, si quidem hanc autoritatem ad plurimorum fastū conuertisset, sileniter, moderate, & æquabiliter officiū suū fecisset, si iustitia & temperantia cum aliarum Ecclesiæ præfectis decertasset. Quia ue  
ro tam

AD IMPERII PRINCIPES.

ro tam longo tempore, rem tantam, adeò sollicitè,  
& ardēter expetivit, dubitari non debet, quin idem  
artifex, qui Christo seruatori nostro in monte sub  
lato, regna pollicebatur & imperia mundi, huius e-  
tiam ambitionis author extiterit. Tām enim est im-  
mensus, immoderatus, & supra sortem humana m,  
hic principatus, ut etiamsi, uel inconsiderantia qua-  
dam, uel bene merendi studio & liberalitate, Cæsa-  
res ei detulissent hunc honorem, omnia tamen po-  
tius ei cogitanda fuerint, & illud in primis, quod  
Christus eiusmodi contentionem in suis discipulis  
acriter admodum reprehendit. Porro, quum in hoc  
fastigium beneficio Cæsarum euasisset, ausus fuit  
maiora sibi deinceps polliceri, neq; iam dubitabat,  
quin amplissima quæq; posset perticere in illa uene-  
ratione & cultu Religionis, uerum lente & dissimu-  
lanter progrediens, tentabat principum animos.  
Cæterum, à morte Constantini Cæsaris, qui primus  
ad Christi doctrinam animum adiecit, centum ferè  
post annis, ualde fuit debilitatum imperium Roma-  
norū, adempta fuerunt eis Gallia, Britannia,  
Germania, Italiam occupabant Hunni, Africam  
Vandali, tantaq; fuit dissipatorerum omnium, ut  
amissis, que spectabant Occidentem, prouincijs &  
regnis, ad Orientem se conuerterent Cæsares, ibiç  
sedem locarent. Post hanc tām insignem calamita-  
tem & Imperij debilitationem, natum est inter Cæ-  
sarem & Episcopum Romanum ingens dissidium,

B cuius

ORATIO SLEIDANI

cuius hæc fuit inter alias una, & ea quidem potissima causa, quod Cæsar iuberet statuas, & imagines è templis auferri: Cui quidem Cæsaris manda-to Romanus Episcopus adeo restitit acerbè, ut tandem non dubitaret ei sacrís interdicere. Tantum extulerat iam animos. Et quoniam uigebant per Italiam bella, ne Rom. quidem Episcopus erat extra periculum, sed infestabat eum inter alios, Insurbię quoq; Regulus, cuius impetum & arma nō porrerat à se depellere, ut qui non tam latè dominaretur, quam hodie. Deinde, sic erat meritus de Cæsare, nullum ut ab eo posset auxilium sibi polliceri.

Secundum hoc est & alterum Imperij uulnus, hoc illicò fuit exceptum ab alio maiori. Nam eodem prope tempore, quo Romanus Episcopus principatum illum suum impetravit, quod ducentis fere annis post amissum Occidentis imperium accidit, Mahometus ad plagam Orientale exuscitatus est, ac præter eum alij complures, qui, coniuratione facta, uehementer affligebant Imperij robur. Et ne quid omnino, quod ad calamitatem pertinet, prætermitteretur, cum Cæsares autoritatem suam res tinerent incolumem, & satis præ se ferre, quicquid esset dignitatis, potentiae & splendoris in Episcopo Romano, totum hoc ipsis deberi, ille animaduerteret non se posse, quo uellet, peruenire, cœpit inire ratiōnes, quomodo non solum hanc seruitutem excus teret, uerum etiam in summo gradu constitutus,

alij

A D I M P E R I T P R I N C I P E S .

alijs dominaretur , indignum esse putans , cum esset Episcoporum princeps , agnoscere superiorem magistratum , aliam inueniri posse uiam , excitaturum se quemuis alium , qui sua uoce declaratus Roma . Cæsar , causam haberet uicissim bene de ipso merendi . Quoniam uero Francorum reges , ac Piponrum familia , seruauerant ipsum , quod minus à Longobardis opprimeretur , Carolum Magnum , qui tota Italia profligauerat hostem , delegit , eumq; Cæsarem denunciauit . Ad eum modum , nouus hic urbis Romæ dominus , tenuis & miser initio , magistratum legitimum à Deo constitutum , deq; ipso præclare meritum elisit , & potestatem sibi sumpsit inauditam , designandi alium Cæsarem , in eaç; re , ius illud , quod uel ad senatum populi Romani , uel ad exercitus Romani duces pertinebat , usurpauit , & Imperij vires hoc ipso conscidit , et consecutus est quæ uoluit . Primum , ut animum expleret , ac priscum Cæsarem ulciseretur , deinde ut Caroli Cæsaris , eiusq; successorum præsidio munitus , locum suum tueretur : Postremo , ut uia sibi sterneret , suisq; posteris , quod locum aliquem & autoritatem obtinerent in creando Cæsare . Nam elius ille Cæsar antiquus , habebat iustissimam offensionis & ingratitudinis exprobradę causam , hic aut̄ recens creatus Cæsar , non poterat non agnoscere summum Epis: Rom. studium & propensionem erga se . Sic igitur Imperium , quod unicum erat antea , factum est du-

B ij plex,

ORATIO ISLEIDANICA

plex, quæ res non potuit non esse maximorum diffi-  
diorum causa Nam & grauissimæ postea natæ sunt  
offensiones inter Orientis & Occidentis Imperato-  
res, nec solum inter eos, uerum etiam inter Ecclesi-  
as utriusque plagæ. Tale spectaculum præbuit Ro-  
manus Episcopus, ut Cæsarem orbis principem,  
cui ne Christus quidem homo, uoluit ademptum  
esse quicquam de suo iure, deturbaret e solio. Cæte-  
rum, penes Caroli posteritatem mansit Imperium  
aliquandiu, quod ægre ferebant Italî proceres, co-  
gitantes, in armis & robore militari positum esse, ut  
Cæsar alius euaderet.

Coniunctis igitur viribus, obduxerunt Beren-  
garium quendam, eumq; Cæsarem salutarunt, qui  
grauia bella gessit cum Ludouico tertio, nec infeli-  
citer. Ille uero, qui postremus fuit huius nominis  
Cæsar, ob superbiam & tyrannidem incurrit in plu-  
rimorum odia, de quo certior factus Otho Saxonie  
dux, & inuitatus ad moliendas res nouas, cum exer-  
citu in Italiam uenit, profligatoq; Berengario, Ro-  
mam inde contendens, inaugurationem Imperij su-  
scipit à Pontifice. Quia uero de Imperij dignitate  
certamen erat perpetuum, inter Italos præsertim &  
Gallos, & Germanos, cœptum est cogitari de con-  
stituēdis per Germaniam principibus aliquot, qui  
potestatem haberent creandi Cæsaris, ut hac ratio-  
ne uia præcluderetur exteris gentibus, idq; factum  
est, quo tempore Saxonie Dux, Otho tertius Im-  
perium

A D I M P E R I I P R I N C I P E S .

perium administrabat, & Gregorius quintus Germanus, Romæ præsidebat Pontifex, qui suarum partium, & propriæ commoditatis minime negligens aut oblitus, perfecit, ut ex illis, qui Cæsarem deinceps crearent, essent tres ordinis Ecclesiastici. Quod plerique putant ideo fuisse constitutum, ut in retam graui & ardua, reliqui principes haberent socios & collegas, viros eruditione ac uitæ integritate præstantes. Verum utcunq; sit, certum est, hoc eō factum fuisse consilio, ut potestatem, quam arrogauerat ille sibi, in Imperij negotijs, hac etiam uia confirmaret. Quod ipsum nō uelim intelligi, quasi cogitem aliquid detrahere authoritati Electorum Ecclesiasticorum, & ut ne quis in eam partem interpretetur, etiam atq; etiam rogo. Veruntamen, contendent hic fortasse quidam, & Pontificem Romanum bene de nobis meritum esse prædicabunt, qui tam illustrem honorem, qualis est Imperij dignitas, in nostram gentem inuixerit, quantum in ipso fuit. Fateor equidem, & sanè sit reprehendendus homo Germanus, qui non gratuletur communi patriæ splendorem hunc, & amplificationem nominis. Verum aliò spectat hic sermo, & hoc solum ago, ut appareat, ab eo tempore, quo Romanus Episcopus Cæsarum se negotijs immiscuit, Imperij res in dies magis atq; magis labefactatas, & postquam ad Germanos priuilegium illud delatum est, ita fuisse depresso & arctatas, ut nihil ferè preter inanem

B ij titu

## ORATIO SLEIDANI

titulum retineant. Ortæ sunt ingentes inter eum & Cæsarem contentiones, ob immensam istam arrogantiam et cupiditatem: Non potuerunt eam ferre inter alios, Henricus Quartus, non Fridericus Primus, non Secundus, aduersus quem ille fuit acerbissime concitatus, quoniam & proscriptis eum & indignum iudicabat, qui Cæsar esset, & principibus mandabat, ut aliū crearent, & omnes pariter homines commonebat, ne parerent ei, uel ullum praestarent officium. Hæc omnia continentur in ipsis rumet libris, quo etiam loco Friderici primi laudissimi Cæsar is, meminit odiosissime.

Cum Henricus Cæsar, dux Lutzenburgensis, recusaret subire iuriurandum illud servile, metuēs Pontifex, ne res traheretur in exemplum, excogitauit formulam iuriurandi longe amplissimam, et litterarum monumentis prodidit, in qua nihil omnino prætermissum est, ita quidem, ut nullus unquam libertus arctiori uinculo fuerit obligatus patrone suo, quam hodie Cæsar deuinctus est Episcopo Romano, suo quondam clienti. Complectitur autem hæc formula, ut Cæsar Ecclesiæ Romanæ & Pontificum opes, & dignitatem & priuilegia, & decreta modis omnibus conseruet, augeat & defendat. Hoc ueluti freno cohercet & impellit eos quod uult. Et sane, ut ex emendato principatu fructum perciperet ac emolumenū, necesse fuit ei nouum excogitare doctrinæ genus, ideoq; uarijs constis

AD IMPERII PRINCIPES.

cōstitutionibus ita se muniuit, ut nemo, nisi qui nos tam infamiae & perfidiae subire uelit, quicquam au sit contra moliri. Hæc enim probra & conuicia, magna s̄epe uiris obiecit, qui nihil tamen in ipsius doctrina reprehendebant, infœlici nimirum s̄eculo, sed immoderatae solum ambitioni, & libidini modum aliquem statuere cupiebat. Verum honestissimos principum conatus artibus ille suis eludebat, nec enim foris apud alios reges deerant ei præsidia. Cumq; Cœsares exacerbatos à se non auderet in Italia expectare, s̄epe aliò profugit ad confœderatos. Et ista quidem perpetuatione dissidiorum & molestiarum, peruicit tandem, ita quidem, ut Cœsares redderet obsequentiōres, eisq; pro suo arbitratu imperaret, in eoq; statu floruit ab aliquo iam s̄eculis, ad hoc usq; tempus, quo Deus illustrem quādam & lātam rerum uicissitudinem adduxit. Posteaquam enim in summum fastigium ille consen dit fastus atq; superbiæ, seq; pateretur, ut Deum aliquem coli, quod nemo negare potest: Deus uerbi sui cognitionem obscuratam ab illo, produxit, ut clarissimum Solis lumen, idq; primum intra Imperij Germanici terminos, quod ipsum est consideratione non indignum.

Qui iam ueritatis cupidí sunt & amantes, ut esse debent, quotquot Christianū nomen profitentur, in ista concertatione & hæsitatione, dum in dubio sunt & ignorant, quid potissimum sequantur, in-

B iiiij quis

## ORATIO SLEIDANIA

quirere debent & inuestigare, num sit aliquid sacris  
literis proditum, eiusmodi futuram aliquando per-  
turbationem, tam in Religione quam in Imperio,  
quod maiestatis sicut plenum quondam & longe flo-  
rentissimum. Nam si quid tale prænunciatum esset  
a Prophetis aut ab Apostolis, confirmare se posset  
humanus animus, & certa consolatione sustinere,  
qui alioqui, nihil tale requiriens aut cognoscens, flu-  
ctuat, adeoque desperat prope modum, & opiniones  
multas, alijs alias accumulat, nec certi quicquam  
statuere potest. Quanquam uero dijudicari pro-  
phetiae non ita facile possunt, habent tamen semper  
notas aliquot & circumstantias, quæ reddunt eas  
clariores. Non frustra prodidit illas Deus, & inter  
cætera, hoc adferunt boni, quod præsignificat no-  
bis futuras calamitates, ut caueamus, ut ad poenit-  
tentiam excitemur, ut uitam emendemus, & ut ma-  
gnis animis expectemus, quæ uentura sunt in im-  
pium orbem, incommoda. Iam si plerique omnes  
non tam essent uel excæcati, uel pertinaces, uel ne-  
gligentes etiam, & in his rerum motibus iudicium  
peterent e scripturis, haberent, quo se munirent, &  
consolarentur. Præsens enim rerum status, & ea  
mundi facies, quam coram uidemus, omnino ibi  
describitur. Et principio quidem, de quatuor ma-  
ximis Imperijs, ordine successuris, aperte loquitur  
Daniel ac copiose, non uno in loco, sed in primis de  
Romano, quod postremum esse dicit, & ex illis qua-  
tuor

AD IMPERII PRINCIPES.

Quor omnia potentissimum. Ferreum enim il-  
lud uocat, & sicut ferrum emollit & contundit om-  
nia, sic quoque futurum dicit, ut istud Imperium fran-  
gat & imminuat reliqua omnia. Sed pedes illius &  
digitos pedum, dicit partim esse ferreos, partim ex-  
terra fictiles, hoc ipso denotans, futurum, ut ad ex-  
tremum scindatur & debilitetur.

Post, alio quodam loco dicit exoriturum regem  
quendam uehementer astutum & callidum, qui po-  
tens euadet alienis non suis aut uitribus, aut robore,  
qui turbabit & uastabit omnia, qui prijs bellum in-  
feret, eosque perdet, qui supra regum regem sese ef-  
feret, qui uerum illud & antiquum & perpetuum  
sacrificium abolebit, sub quo laborabit grauiter, &  
opprimetur ueritas, qui pro sua libidine & arbitra-  
tu dominabitur, cui fœliciter omnia cedent, qui De-  
um suorum maiorum aspernabitur, qui non affici-  
etur honesto & licto erga mulieres affectu, qui no-  
rum sibi deum finget, eumque colet auro & gemnis,  
qui diuinitas orbis largietur & distribuet in eos, qui  
adiutores ipsi erunt in excolendo illo, quem sibi fin-  
xit, Deo, qui modis omnibus florebit, donec effe-  
buerit ira Dei, tunc futurum, ut corruat, & sine ar-  
morum strepitu labefactetur totus. Hæc, inquam,  
omnia sunt à Daniele præsignificata. Iam uero  
quantum ad Romani Imperij ruinam & occasum  
pertinet, constat uaticinium hoc impletum & per-  
fectum esse.

C Quicquid

## ORATIO SLEIDANI

Quicquid enim Romanii uel per Europam uel Asiam, uel Africam tenuerunt, occupatur totum ab alijs regibus & populis, qui Cæsarem nostrum Romanum minime agnoscent. Et quanquam nomen adhuc retinemus eius Imperij, ditiones tamen propè omnes amisimus. Vna uero cum interitu & dissipatione Romanii Imperij, maximam quoq; futuram esse religionis, ac uerè doctrinæ uastationem, ex hoc Danielis loco satis clarum est. Et quanquam sunt in Daniele, quæ propriè pertinent ad Turcarū dominationem & monarchiam, tamen ea, quæ com memorauit supra, Paulus ipse, fortasse præter omnium expectationem, disertè interpretatur de regno quodam Ecclesiastico seu Pontificio, quando futurum dicit, ut sedeat in templo Dei, quo quidem loco repetit ipsissima uerba Danielis, & loquitur de filio quodam perditō, & nefario, quem hominem peccati uocat ipse, qui sese extolleat supra omne quod dicitur Deus. Hunc ait futurum insignem Tyrannum & dissipatorem Ecclesiarum, qui diu floreat, & regnet, ac summam impietatem exerceat, sub specie religionis, quæ teget ipsum, ac ueluti fuso quodam ornabit, ne possit agnoscī, deinde, postea quā diu grassatus ad hunc modum fuerit, & ad summam improbitatem peruererit, ita quidem, ut nihil adīci possit, futurum, ut reueletur, & agnoscatur ab omnibus, ut corruat & pereat, non alio uel instrumenti, uel telorum genere, quam spiritu oris  
Dei

AD IMPERII PRINCIPES.

Dei, & prædicatione uerbi diuini. Cedo, quis hic erit tyrannus? quibus in locis inuestigabimus? an aduenisse credemus, an uero sub ipsissimum mudi finem expectabimus eum? Ut aliquando ueniat, & ad eum modum regnet, sicut scriptura prædictis, oportet. Non grassabitur autem uir armorum, sicut alij reges. Non fuit igitur quisquam ex Romanis Imperatoribus, non Nero, non Caligula, non Heliogabalus, non Commodus, non id genus aliae pestes. Non fuit uel Alaricus, uel Totila, uel Gensericus, uel Odoacer, uel quisquam alius eorum, qui Europam & Africam bellis concusserunt. Non fuit ullus uel Sarracenorum, uel Turcarum princeps, qui per Asiam dominati sunt. Quicquid enim hi gerebant, palam fuit, nemo non agnosceret eos esse grassatores uiolentos, & Tyrannos immanissimos. Hic autem noster, quem quaerimus, quem inuestigamus, erit supra modum crudelis, nec tamen agnosceretur. Qua nam igitur ratione teget ac dissimulabit suam tyrannidem? certe, ficta religionis & sanctimoniac specie. Occupabit igitur autoritatem in Ecclesijs? omnino. Conferamus nunc istam Danielis & Pauli descriptionem, hisq[ue] nostris temporibus eam accōmode mus. Nullum enim fuit unquam tempus, quo classius hæc uaticinia potuerint intelligi, quam hoc nostrum, & qui superstites erunt post nos, melius haud dubie sunt intellecturi quadam, quæ nobis

C i j adhuc

## ORATO SLEIDANICA

adhuc obscuriora uidentur. Sed interim uidea-  
mus illa, quæ dissimulare diutius, uel ignorare non  
possimus.

Cogitemus qui fuerit status rerum in nostra  
Germania, quæ forma religionis ante annos ui-  
ginti quinque: Nonne res eò deuenerant, ut homo  
ille nequam & scelerosus exhiberet se coram omni-  
bus, in templo Dei sedens, uelut numen aliquod  
terrestre, colendum & prope adorandum? Fieri ne  
potest, ut furiosior & immanior ulla suscitetur ido-  
lolatria? Nonne humana omnia pendebant a solo  
iuusu, & arbitratu numinis Romani? Nonne quicque  
quid aut mandabat, aut prohibebat, id obserua-  
bant omnes, tanquam ipsius Dei uoce pronuncia-  
tum? Nonne quocunque uellet, omnes pariter ho-  
mines ducebat? Qui rex, qui princeps authorita-  
tem eius impugnabat, aut non potius omniratio-  
ne iuuabat? Quis alius, præter eum, exuit hone-  
stum erga mulieres affectum, seque nepharis libi-  
dinibus contaminauit? Quis maiori contumelia  
matrimonium adfecit, ut qui magnæ hominum  
portioni prohibuit, & ademit illud, tanquam impu-  
rum quiddam ac minime castum? Cui fœlicius un-  
quam & magis ex uoto cesserunt omnia, quod huic?  
Quis alius, præter eum, iniquissimis rationibus in-  
uasit Ecclesiarum omnium facultates, easque distri-  
buit suis coniuratis, qui foedam illam et immensam  
impietatem, atque tyrannidem eius propugnant &  
adiu-

A D I M P E R I I P R I N C I P E S .

adstuantur? Nonne dominum se profitetur horum  
bonorum omnium, & ut uerbo id non faciat, non  
nere ipsa potestatem hanc sibi sumit, ut ea largia  
tur quibus uelit? Nonne propter hanc causam ob  
seruatur, colitur, & tantum non adoratur ab omni  
bus? Nonne sub eo grauiissime laborauit, ingemu  
it, & oppressa fuit ueritas, ita quidem, ut ad recorda  
tionem eius temporis inhorrescant etiam homines  
iudicio præditis? Nonne permiscuit & conturbauit  
omnia, non solum in Ecclesijs & doctrina, uerum e  
tiam in ipsa Repub. ciuili? Romanorum Impera  
torum uitam nemo describere potest, aut historiam  
cōmemorare, quin Romani quoq; Pontificis plus  
rima fiat, & necessaria mentio. Quid hoc est rei?  
Cur ille potius, quam aliarum prouinciarum aut ci  
uitatum Episcopi, sic ubiq; conspicitur inter me  
dios reges atq; Cæsares, tumultuans, ambiens, pre  
hensans, turbarum, seditionum, rebellionum au  
thor, iniens foedera cum diuersis, nunc profligatus  
ab uno, mox restitutus ab alio? Quænam est ista re  
rum facies, quid in eo simile homini Ecclesiastico?  
quid non potius facit, quam hoc ipsum, quod pro  
prium est ipsius munus? An obliuisci poterimus  
eorum, quæ nostra memoria & hac ætate contige  
runt in nostro conspectu, nostris in ædibus & focis?  
Captiuos in acerbissima & miserrima seruitute de  
tinuit animos nostros, impulit nos, & pertraxit in  
quamcumq; uoluit partem? Quicquid ei sualit uel a

C iij uaritia

## ORATIO SLEIDANICA

uaritia, uel fastus, uel dominandi cupiditas, uel etiam ludificandi & deridendi studium, non dubitauit id ipsum proponere nobis & mandare, uelut ex ipso Apostolorum senatu profectum. Nec vero contentus tam acerbo & cruento ludo, facultates ac opes nostras etiam diripuit, & exhaustus, cum tamen interim nihil eorum ipse crederet, quae nobis credenda, non minus quam Christi uocem ac Euangelij doctrinam, præcipiebat, quae nobis tanto precio uendebat, toties & tanta ostentatione, In eaq; nundinatione utebatur aptissimis organis, hominibus indoctis, impuris, flagitiosis, lenonibus, cocis, mulionibus, cinaedis, histrionibus, & id genus alijs proceribus, quibus nos propinabat, non deridendos modo, sed & excoriandos & dilaniandos, quibus, tanquam terreni numinis legatis, obuiam nos progressi magna laetitia & solemnis pompa, nullum non honoris ac benevolentiae genus certatim omnes impendebamus. Quid, an non istud est regnare? Nullus fuit unquam tyranus, qui nequitiam, & improbitatem suam ita occultarit, ut non agnosceretur a potissima hominum parte, sed iste rerum dominus, grassatur immanissime, non per unam aliquam rem publicam, aut prouinciam, sed per omnem ferè Europam, & tamen non modo non agnoscitur, uerum etiam ita se comparat, & tam artificiose crudelitatem suam tegit, ut colatur & obseruetur ab omnibus, ac si, tanquam nus-

men

## AD IMPERII PRINCIPES.

men aliquod salutare, constitutus esset à Deo in hac misera & calamitosa hominum uita. Nonne reges omnes ac monarchæ fuerunt huius dominationis admirabili spectatores & adiutores? Qui tamen si maiorem innocentiam & puritatem in eius uita fortasse desiderabant aliquando, non tamen potuerūt eum agnoscere, quoniam religionis opinione detinabantur, deinde, sic erat, ut oporteret eum grossari ad hunc modum, in summa omnium hominum ignorantie, & impunitate maxima, sicut scriptura præsignificauit. Cum uero peruenisset ad summum gradum impietatis, ut superaddi nihil posset, adortus est ipsum Deus, intra Germaniæ & Imperij fines, ut supra quoq[ue] diximus, & aduersarium excitauit ei, non Regem aliquem prætentem, sed hominem priuatum & obscurum, professione tota & uite genere, ipsi quoq[ue] deuinctum.

Et quanquam eo potentię creuerat, ut facile reges omnes contemneret, tamen, ad primam huius doctrinæ, quam ferre non potest, mentionem, attinus, illico cœpit de remedio cogitare, Quod totū erat positum in fulminationibus, & execrationibus, & interdictis, hoc etiam uehementioribus, quō grauius & acerbius oderat nouum doctorem, cuius libri & conciones, quō spectarent, & quantum essent ipsius regno, & aulae cladem allaturi, statim præsensit, non tam ipse, quam ipsius præceptor & moderator, is, cuius ope & consilio subla-

## ORATIO SLEIDANI

tus humo, in tantam se diffuderat amplitudinem.  
Idem hic præceptor, cōsiliorumq; rector, alia quoq;  
præsidia subministrabat, è quibus illud est admo-  
dum illustre, quod mandath o minibus, ut non mo-  
do non legant suorum aduersariorum libros, ue-  
rūmetiam ne Biblia quidem ipsa. Quis hīc, cedo,  
tantus est furor? Scripturam Regius Propheta uo-  
cat lucernam, ac ueluti facem in tenebris prælucen-  
tem. Hanc ipsam facem præeuentem nobis, qua nul-  
lo unquam tempore possumus carere, multis ante  
sæculis & extinxerat iste, & nunc posteaq; singu-  
lari & inenarrabili beneficio Dei patris iterum est  
accensa nobis, denuo conatur omnibus modis de-  
primere, ne luceat, adeoq; uult & mandat, ut ipsum  
sequantur homines, nec ab eius aberrent uestigij,   
etiamsi ducat in præcipitium. Sic enim habent eius  
decreta, claris & disertis uerbis. Quādū regnum  
eius floruit, nihil erat sollicitus, nec unquam ei ues-  
niebat in mentem, ut sacræ scripturæ lectionem in-  
hiberet, cuius interpretationem, & dijudicationem  
omnes ab ipso peterent, quicunq; legebant, lege-  
bant autem ualde pauci, puram & impollutam, &  
ij quidem omnes, uarijs ei nominibus obligati.  
Nunc uero, quum tempus adest, ut corruat, ut in-  
signe præbeat orbi de se spectaculum, conatur eri-  
pere & extorquere hominibus instrumētum illud,  
quo siam impietatem ac sclera uidet esse patefa-  
cta. Proximum, & alterum præsidium est arma-  
tum,

AD IMPERII PRINCIPES.

tum, sœuit igni, ferro, laqueo, fluctibus & undis, ut agnoscas artificem, illum antiquum humani generis hostem, qui cædibus & sanguine delectatur. Ut autem sit terribilior, exploratores habet per omnia regna, uocant Inquisitores, quibus hoc est commissum munus, ut eos omnes, qui dominam mere tricem non reuerenter agnoscunt, persequantur. An non illud est, quod Daniel ait, futurum, ut prijs bellum inferat, ut acerbissime oderit Euangelij doctores, qui populum erudiunt? Et quoniam, ut maiorem crudelitatem exerceat, opus habet regum & principum benevolentia, tametsi iam ante sibi deuinctos habet illos, nunc tamen obseruat & captat eos, quacunq; potest ratione, & hoc quidem est omnium maximæ ualidum præsidium. Ac sanè spe ciosum est istud, & ad mouendum adfert non exiguum uitum, habere uidelicet Monarchas adiutores, socios & confederatos.

Quid uero, si & istam consociationem, & amicitiam prænunciauit scriptura? Magna est profectio Dei benignitas, qui tam uarijs calamitatibus, quæ incident in uitam piorum hominum, tam illustres opposuit consolationes, nec ullum esse patitur tantum incommodum, cuius non exhibuerit medi cinam in suis promissionibus & uerbo. Quid enim possit commouere uehemētius hominum animos, quāuidere Pontificem Roma, in maximis opibus & luxu florentem, & decernentem omnia pro suo

D arbitrio

## ORATIO SLEIDANI

arbitratur, munitum esse præsidio summorum Regum: Nonne, si rationis iudicium sequantur, pustē frustra sumi laborem omnem? Certè non aliter statuant, quām temere Pontificatum oppugnari, qui tam denso aggere & urallo sit circumseptus. Cur enim istud non cogitent, Pontifex ipse maximam & unicam propemodum spem in eo positam habet: Sed cum ad scripturæ lectionem accedunt, uident illud ipsum, quo torquentur, & tantum non exanimantur, esse depictum ibi, uelut in tabula, sed ita depictum, ut cum in exordio nihil uideant, præter ferratas acies, centauros, leones, gryphes, chimaeras, ignem totis naribus ac fauibus efflantes dracones, ad extremum animaduertant hæc omnia, cœlitus delapsa flamma, subito consumi, sic ut ne reliquiae quidem ullæ supersint. Vident enim non defutura quidem Romano Pontifici Regum auxilia, sed hoc præterea uident, futurum, ut quò sublimius ille cōscendit, eò grauius & periculosius decidat, & quo maioribus nititur regum præsidij, eò uehementius cōturbetur in animo, quando progradientे perpetuò ira Dei, & magis ebulliente, principes, uel non poterunt, uel etiam temporibus ipsis mutati, nolent ei præcipitato & extreme labrantí opem ferre, quando destitutus & denudatus omni humano præsidio, uidebit iram Dei contra se prorsus inflamatam, quando Tesiphone, sicut est apud Poëtas, furiarum ministra, ipsius capit semper

AD IMPERII PRINCIPES.

per imminens perpetuo flagello conscientiam exasperabit, nec quietam esse permittet. Horrendum est profecto, concitare iram Dei, desperatorum est austem, quum ad pœnitentiam nos inuitat Deus, non agnoscere uocem eius & manum, ac impietatem auge blasphemis. Tanta enim est Dei patris erga nos misericordia & charitas, ut quantumuis facinorosos & impios, multis & claris indicis atque signis ad pœnitentiam uocet, ac uitæ emendationem. Acerbiorem & nocentiorem hostem Ecclesia Christi uix habuit ullum, quam Pontificem, spacium tamen largitur ei Deus & ocium, ut scelus agnoscat, ut ueniam supplex petat, & de officio suo cogitet. Anni sunt uiginti quinq[ue], & eó plus, quo primum tempore coepit est dubitari de potestate, quam ille sibi sumpserat in omnes mortales. Quam uarijs, quamque miserabilibus interea precibus & exhortationibus sollicitatus est? Detecti sunt errores nimium fœdi, patefacti intolerabiles abusus, ob oculos posita non ferenda uicia, quam sit misera & deploranda populi Christiani seruitus & conditio in his errorum tenebris, quid omnes prius requirant & optent, quæ possit iniri melior in his omnibus ratio, sic ostensum est, atque ita clare demonstratum, ut qui posthac illa uelut ignorare, nullum sit habiturus excusandi locum.

Ille uero magister & dominus animorum nostrorum, quomodo se gessit in his tantis lachrymis

D ij &

ORATIO SLEIDANI

& suspirijs omnium piorum: Quam uel ipse, uel eius coiurati dederunt hactenus poenitentiae significationem, aut quam etiam spem hodierno die present: Videt, ex quam humili & contempto principio, in quantâ excreuerint amplitudinem aduersarij. Videt eos nihil remittere desu a constantia, sed magnis animis causam istam, semel susceptam, tueri & propugnare sacrarum literarum testimonij & authoritate: Cur non mouetur hoc spectaculo tam tristi: Si putat iniuriam sibi fieri, quin recordatur eius temporis, quo sedes in solio sublimi, cœlum precio uendebat hominibus: Cur non cogitat in illo ipso fastus & impietatis extremo fastigio, uulnus hoc sibi fuisse infictum: Quare non respicit, & intuetur suam atq; suorum uitam, et actiones omnes: Cur in mentem ei non uenit, quam tetricis et pudendis artibus ad honores istos ferre perueniant: Num ignorat, Cardinales propè omnes uel ambitione, uel largitione, uel fraude, uel id genus alijs artibus ad hunc dignitatis gradum ascendere: ne quid interim dicam de ipsis, qui uel ueneno peremptis alijs, uel à sororibus et neptibus commendati, non uerentur postea nominare se, beneficio Dei, constitutos hic esse Christi uicarios. Hæc, inquam, omnia, uel partem saltem aliquam, si cogitaret, nonne credibile est, permoueri posse, ut spiritus remittat, et iustum Dei iudicium agnoscat: Ille uero cogitet: imo furiosos et mente captos esse pri-

tat.

AD IMPERII PRINCIPES.

tate eos, qui contra, quam ipse facit, sentiunt, adeoq; non fatetur culpam, ut nulla de re uehementius & sepius, quam de uindicta & ultione deliberet. Utq; minori negocio, quò uult, perueniat, regū societas tem & foedera sibi coniungit. Hoc ipsum uero pre significauit scriptura, quo loco depingit meretri cem magnam, gemmis & auro mirifice cultam & ornatam: cum qua fornicantur reges terræ, que poculum auratum propinat orbí, cuius uino sunt inebriati omnes ubiq; populi. Cedo, num est elegans hæc atq; illustris pictura? Qui sectantur amores, in seruitutem aliquam se coniuncti, & experiuntur il lud, quod est in comœdijs, Exclusit, reuocat, eoq; maior est seruitus, quò uenustior & speciosior est ea, quam sollicitamus.

Iam, si memoria repetamus anteacti temporis historiam, uidebimus breui quidem uocula, sed perite tamen & significanter omnia esse notata. Nam ab eo tempore, quo dominatum Episcopi Romani obtinuerunt in Ecclesijs, idem plane, quod in amoribus fieri solet, accidit inter eos & Cæsares. Post ex mendicatum enim principatum, illi paulatim facti animosiores, ornabant ac ueluti conuestiebant se magnificis titulis, donec auge scente quotidie fastu & intemperantia, Cæsarum quoq; autoritatem non dubitarent conuellere. Quæ quidem res matrem litibus atq; dissidijs præbuit, quæ nunc aucta, nunc remissa, nunc consopita, nunc redintegrata

D ij sæpe

## ORATIO SLEIDANI

sæpenumero fuerunt, donec tandem speciosa mes-  
retrix, ad inescandum amatores instructa & orna-  
ta, mentes ipsorum, quod de Circe proditum est,  
transformasset. Nam & ipsius frontinomen inscri-  
ptum est, mysterium. Quanquam enim in rerum  
natura nihil est foedius ipsa uel magis tetur, sic ta-  
men est in speciem culta foris, ut in eius complexus  
& oscula ruant magno studio principes, & orbis  
monarchæ.

Secretum est & non inuestigabile Dei consili-  
um, qui si claxauit ei frenos, & hanc tantam licen-  
tiam tam longo tempore permisit, & nunc demum  
patefecit nobis eam totam, & fucum detraxit. An  
non ingens illud est mysterium? Quis enim unquā  
putasset, eum, qui se Vicarium Christi profitetur et  
nominat, esse tam nefarium & deploratè scelero-  
sum? Sed ecce, & uim amoris, et artes illius. Quom  
ætate & gratia floreret, omnibusq; uidetur esse  
cultissima, sic irretiuit suos amatores, ut ne hodie  
quidem, cum est prope detecta, suisq; nudata colo-  
ribus, quium ad eius conspectum plaricq; nauseant,  
& exhorrescant, destituatur ab illis, quibuscum an-  
te consuevit. Et qua est calliditate, quoniam et for-  
mæ & uenustatis non nihil sibi perijisse uidet, idcirco  
muneribus et omnis generis officijs retinere studet  
eos, et sibi deuincire his ipsis rebus, quas blanditijs,  
alijsq; meretricijs artibus ante fuit ab eis consecuta.  
Nunc enim submissior esse uidetur aliquanto fa-

ctus

## AD IMPERII PRINCIPES.

Etus erga reges ille quondam rerū dominus , et ter-  
ritor animorū , graues instituit criminaciones et  
calumnias , ut aduersarios lēdat , mīrificè ornat se  
titulis Ecclesiæ , Romanę sedis , Conciliorum et pa-  
trum , repetit superiorum temporum memoriam ,  
et ostendit , quanto studio Romani Cæsares Apo-  
stolicam sedem , ac Pontificiam dignitatem semper  
defenderint , conseruarint et amplificarint , eoq; no-  
mine subsidium ab ipsis petit , iniecta quoq; mentio  
ne , per occasionem iuris iurandi præstiti : Et quò fa-  
cilius , quod petit , obtineat , omnem benevolētiā  
eis defert , et facturum se quiduis in eorum gratiam  
pollicetur .

Habent eius decreta , ne quis omnino princeps ,  
quicunq; sit , potestatem sibi sumat , conferendi fa-  
cerdotium , uel munus ullum Ecclesiasticum , et  
eos , qui contrā faciunt , qui uel accipiunt , uel do-  
nānt , execrantur , habent et illud , ut Ecclesiastici o-  
mnium rerum et ciuilium onerum habeant uacati-  
onem ac immunitatem , utq; in summa tranquilli-  
tate , utantur fruantur suis annuis prouentibus .  
Ob ista , et huius generis alia multa decreta , magnę  
ſæpe contentiones ac lites , nonnunquam etiam bel-  
la extiterunt inter ipsum & Cæsares , quemadmo-  
dum historiæ testantur omnes . Hodie uero se tem-  
poribus accommodat , multa largitur Regibus , per-  
mittit , ut Episcopatus , id genus alia conferant in  
quos uelint , concedit , ut decimas & his maiora ſi-  
pendia

## ORATIO SLEIDANI

pendia imperent hominibus Ecclesiastici ordinis,  
tribuit eis, quum opus habet pecunia, illam, quam  
uocant ipsi, Cruciatam, pulcherrimam & certissi-  
mam auri conficiendi rationem. Eiusmodi, uelut  
illecebris, inescat eos, et ita sibi deuincit, ut quoties  
illi foedus aliquid ineunt, aut pacificationem insti-  
tuunt, in eo simul & ipsum ac sedem Roma. com-  
prehendant, & iure iurando confirment, sed dignita-  
tem eius, & amplitudinem modis omnibus propus-  
gnaturos. Quid: adeo se totum insinuat in ipsis  
rum amicitiam, ut filios, nepotes suos, atq; neptes  
regum filijs & consanguineis det in matrimonium.  
Si quem nouit in ipsorum aulis, gratia & authori-  
tate praecellentem, hunc sibi lucrificat, huius aut fi-  
lios aut cognatos amplificat honoribus, obtrudit  
Episcopatus uel Cardinalatum. Quamdiu enim ni-  
titur eorum gratia & benevolentia, qui regibus in-  
timi sunt, non est, quod sibi metuat, facileq; collis-  
git, hos nihil admissuros, quod dignitatem, ut uo-  
cant, Ecclesiasticam, uiolare possit. Quinetiam a-  
deo gratus est monarchis, ut in ipsis gratiam bella  
sepe suscipiant aduersus aliquem uel principem uel  
ciuitatem, quod his nostris temporibus uidimus,  
ideoq; suos habet perpetuos & ordinarios legatos  
in regum Aulis, qui cognoscant, explorent, audi-  
ant, uideant, pertinent & degustent omnia. Sed  
& ipsi reges uicissim habent suos in illius Aula.  
Nam operam quisq; dat, ut illum habeant quam  
maxi-

A D I M P E R I I P R I N C I P E S .

maxime beneuolum, summoq; studio cauent, nec ubi offendant. Interim ipse, qui pulchrè personam sustinet, mirum, quām norit hæc omnia transferre in suos usus. Et quanquam ipsorum perpetuus hic mos est, alere dissidia príncipum, & reges ad armæ concitare, nunc tamen uidetur, eos uelle, si possit, reconciliare: sed non alia de causa, quām ut ipsos, pariter, & viribus coniunctos, educat in suos aduersarios. Nam si certò sciret expectatione se sua casurum esse, neq; reges tale bellum aliquando suscepuros, profectò daret operam, non minus quām ipsius maiores, ac omni ratione prouideret, ut essent quām maximè diuturna, imò si fieri posset, semper iterna bella.

Superioribus annis difficultissimum erat, molestieq; plenum, ut galerū Cardinalitium quis impetraret ab eo. Non solum immensa pecunia ui, sed & regum opus erat commendationibus & intercessione. Verum in hoc tempore, quām uidemus multos in regum Aulis. Porro, senatus consultum Basiliensis Concilij cauet, ne sint plures omnino, quām viginti quatuor, durabus potissimum de causis. Primum, ne nimium oneretur Ecclesia, quod quomodo sit intelligendum, ipsi norunt: deinde, ne si plures numero sint & passim temerè creentur noui, splendor ille huic ordini proprius & peculiaris, ipsa multitudine uilescat, quanquam hoc tamen adiectum est, posse creari plures urgentenecessitate tem-

E porum,

## ORATIO SLEIDANI

porum, atq; hęc fortasse causa est, cur hodie tam sint numerosi, nec ætatis habeatur ratio, quod ipsum uī delicit pugnat cum eo, cuius meminimus antea, Senatus consulto. Nisi enim titubantem uideret ac ē statione exturbatam Ecclesiam suam Paulus tertius, non ascisceret, opinor, in hunc patrum ordinem, adolescentulos nepotes suos, Farnesios, quam fortasse tribuendum est aliquid agnationi & affectui.

Cur autem regum Aulas ita uidemus insignitas purpuratis patribus? Nonne deuincti sunt uarijs nominibus Rom. Pontifici? Sunt certè, & qui dē sacrosanctè. Nonne iure iurando quoq; sunt obstricti regibus, quorum in Aulis uersantur, & à quisbus in consilium adhibentur? Non dubium est. Quomodo autem fidelem operam utriq; præstent? Artes ipsi tenent, licet alijs difficillimum sit. Hoc interim indubitatum est, eos esse Pontifici longè utilissimos, præsertim hoc rerum statu, quo regum præsidij carere non potest, quibus adeo factus est familiaris ac penè domesticus, ut quoties ab eius morte nouus est eligendus, in magna sint illi sollicitudine, ut ne minus habeat beneuolum eum, qui creabitur, quam eum, qui iam decegit è uita. Præsentem autem & commodissimam operam in eo possunt exhibere purpurei senatores. Ilicò postq; allatum est de morte Pontificis, hei quantus equis, quantus adest uiris sudor, uideas omnia compleri nuncijs

AD IMPERII PRINCIPES.

nuncij & cursoribus, quos emitunt reges, pro se quisq; separatim, prehensant Cardinales, ambiunt, sollicitant, promittunt, largiuntur & quiduis defertunt, ut ipsorum habeatur ratio: Sic instructi, & subornati senatores, ingrediuntur illud suum, quod uocant, conclave. Interea miseri amatores, reges & monarchæ, pendent inter spemq; metumq; dubij. Denunciatur postea, qui sit creatus, ibi tum uideas efferrit quosdam laetitia, quosdam ipso uult tristitiam non dissimulare. Sed oritur deinde non iniucundum spectaculum inter ipsos rituales, dum quisq; dat operam, ut apud dominam meretricem hæreat primo loco, dum gratiam, alter alteri studet præripere, cuius rei pulcherrimum nostra hac ætate uidimus exemplum, adeoq; modis omnibus co- nantur ei gratificari & obsequi, ut non dubitent, cruentum ei sacrificium aliquando præbere, quod totum constat ex Lutheranis. Quid, nonne pro- priè & significanter unica uoce scriptura omnem hanc nundinationem expressit, quando fornicatio- nem uocat? An aliquid peritus, & magis ad rem excogitari possit? Præter id, quod iure iurando iam olim habet eos sibi deuinctos, nunc etiam foederis bus, matrimonij & pollicitationibus amplissimis ita sibi coniungit eos, ut arctius non queat.

Hæc est illa pictura, sacris notata literis, quam dum intuētur pīj, ualde conturbantur hauddubie, sicut ante diximus. Quum autem oculis omnia

E ï perlung

## ORATIO SLEIDANI

perlustrauerint, deprehendunt tandem mirabilem  
uicissitudinem, et exitum plusquam Tragicum.  
Vident enim in eadem tabula depictum et hoc esse,  
quemadmodum Babylon illa magna, Romana be-  
stia, ubi ad summum impietatis peruererit, subito  
corruet, impellente Deo, uident, ut reges, ipsius a-  
matores, hactanta, tamquam repentina clade perculsi  
et attoniti, uehementer trepidabunt, nec opem fer-  
re poterunt, uident, ut mercatores, qui, dum mere-  
trix illa florebat, ingentem faciebant questum, ual-  
de lugebunt, & in acerbissimum mœrorem incis-  
cent, propter ademptas, & penitus sublatas ratio-  
nes conficienda pecunia. Quænam est autem ista  
rerum conuersio? Quis omnium hoc putasset alii  
quando futurum? Huc nimurum pertinet ea uati-  
cini pars, ut pri certò statuant, etiam si Pontificem  
armatum esse uident, ac regum auxilijs impieta-  
tem atque blasphemias tueri, tamen haec omnia nihil  
ei profutura tandem. Corruet enim, nec quisquam  
eripiet eum ab ista clade, quam scriptura prænunci-  
auit, quæ nec fallere potest, nec labi.

Persarum rex Darius infinitam hominum mul-  
titudinem educebat in Alexandrum Magnum,  
multo minori pugnantem manu, sed ter cæsus atque  
fugatus, tandem interemptus ipse fuit, nec potuit  
eum eripere quisquam ex manibus animosi & acris  
bellatoris Alexandri persequentis, quod ipsum Da-  
niel diserte præsignificauerat. Nihil igitur dubia-  
tabimus

AD IMPERII PRINCIPES.

tabimus etiam de ruina nostri tyranni. Nec est, qđ  
in ullum alium, pr̄terquam in ipsum, existimemus  
hæc omnia congruere. Sanè, quum nullus unquā  
sit immanius ipso gravatus, hoc tamen boni pr̄stis  
tit nobis, quòd ita se comparat omni & doctrina,  
& uita, & moribus, ut ista uaticinia, prius obscura  
& uelut ænigmatica, perspicue intelligamus & cer-  
tō. Quid enim, an non pr̄stitit Deus, quod pro-  
misit? Nonne floruit ille, plusquam ullus unquam  
Satrapas? Nōne prorsus inuicta uidebatur eius es-  
se magnitudo? Nemo certè negarit. Atqui ille ipse  
terrā dominus, nonne sensit uim hostilem? Non-  
ne eius est imminuta paucis annis & debilitata po-  
tentia? Planè. Quomodo autem, an hastis & ensis  
bus, & ui armorum, & machinis bellicis? Minime,  
sed sola uerbi diuinī prædicatione. Nonne hoc mi-  
raculi plenum est? Quid interim reges & monar-  
chæ? Fremuerunt initio uehementer, nechodie pla-  
nè remittunt iras, fecerunt in eius gratiam, quod  
quiuis adolescens, pro puella, quam amet, si peris-  
clitatem uideret, libenter sit facturus. Quid inter-  
im illi, quorum scriptura meminit, mercatores, aut  
quinam isti sunt? Certè tota Pontificiorum turba,  
qui characterem & notam gerunt Bestiæ, qui præ-  
cateris hominibus insignia quædam habent priui-  
legia. Stant omnes attoniti, mirantur, quæ sint ista  
fulmina, quæ tempestas & procellæ, deplorant mi-  
serias et paupertatem suam, quòd cum antea copio

E iij siſſimam

## ORATIO SLEIDANI

Dissimam haberent messem, & uberrimum facerent  
ex rebus omnibus, uariumq[ue] quæstum, nunc plane  
sint destituti, nec rationem ullam uideant amissa  
recuperandi.

Sed ne hoc ipsum quidem præsidium & propugnaculum, quo ferè solo ntititur Romanus dominus, firmum satis fuit hactenus, aut solidum. Defenderunt illum initio reges pariter omnes, & ita quidem acriter, ut omnia uiderentur pro eo susceppturi, nunc autem ex his ipsis quidam defecerunt, & acerrime persequuntur, quem antea tutati sunt. Quid obstat, quomodo fieri possit, ut & reliqui, si non deficiant omnino, saltem non ita magnam ei tribuant fidem & autoritatem, quam hucusq[ue] fecerunt, præsertim, cum & ipsi multarum sint rerum consciæ, quas minime uel dissimularent in eo, uel paterentur, nisi fructum ex eis pariter & emolumen tum perciperent. Et quanquam ista coram uidet, tamen omnium rerum securus, ac dulci ebrius fortuna, nullum agnoscit errorem, nullum flagitium, nullam noxam, hoc solum cogitat, quemadmodū & tuetur hanc sublimitatem, quam adhuc reliqua habet, & deperditam dignitatem recuperet. Non uult de causa controuersa legitime cognosci, quia futurum sperat, ut interea, dum propter religionis & opinionum diuersitatem exacerbantur animi, bellum aliquod ciuile suscitetur in Germania, quo tota conflagret atq[ue] pereat. Hoc enim proximum

AD IMPERII PRINCIPES.

Ximum esse putat, & saluberrimum remedium, si suis ipsa Germania uulneribus intereat. Et quia scissam factionibus eam esse uidet, cogitat leui alii quo momento posse impelli totam, ut præcipitur. Vrget igitur, & solum operam dat, ut magis etiam exasperentur studia, non alio sanè consilio, quam ut conserantur manus. Nam quia rem sibi esse uidet cum aduersarijs longè uigilantissimis & acerribus, dubium non est, quin omnia sit tentaturus potius, quam ut ignominiose pereat. Si bellum semel intrudescat, certò statuit, alteram partem opprimi posse, & quamdiu stipatus est regum auxilijs, nihil dubitat de uictoria. Magnam igitur & immensam auri uim accumulat, exercet quæsturam auarissime per omnes prouincias, & apud nos etiam exercuit aliquando, non sine summo nostro, & dedecore & detimento, eamq; pecuniam, quam sub prætextu Religionis, fraude, & malis artibus à nobis extorsit, cogitat in nostrū excidium & perniciem conuertere. Is, qui compendium hoc illi monstrauit, idem consiliorum eius rector antea quoq; semper fuit.

Historijs proditum est, utq; nulla sit historia, ratio tamen ipsa testatur, & experientia demonstrat, multa saepe regna, florentissimasq; ciuitates, interierisse totas & eversas fuisse bellis intestinis. Vel sola Græcia spectaculum eius rei præbuit orbi, cum Athenæ, Lacedæmon, Corinthus, Corcyra, mul-

taq;

## ORATIO SLEIDANI

tæq; alia bello conflictarentur. Quo tempore Iulius & Pompeius exercebant odia, sic erant debilitatæ, fractæq; Romani Imperij uires, ut si quis tunc alius fuisset adortus eos, insignem reportasset uictoriā. Postquam ab Oriente migravit in Occidentem, ut supra diximus, & quod antea fuit unicum, Imperium Romanum, factum est duplex, labefactatum indies fuit magis atq; magis. Illa quondam rerum domina, aliorumq; regnorum omnium desbellatrix Italia, cur adeo nihil hodie repræsentatus terem maiestatem, cur speciem & colorem omnem amisit? Cur ab exteris nationibus, Germanis, Gallis, & Hispanis adeo miserabiliter dilaniatur, & exugitur? Nonne factio[n]es & diuersa studia materiam huic calamitati præbuerunt? Hæc omnia nō ignorat Europæus iste dominus, & intentus est totus, utidem apud nos perficiat. Neq; uero sua expectatione prorsus excidit, et quoniam pulchre nos iampridem incœpisse uidet, nunc solum hoc laborat, & optat, ut in isto curriculo pergamus, quò satiare possit animum cruaris nostri sitientē. Quamdiu pacem coluit Germania, & ad Rempu. Imperij iuuandam, cōmune studium & operam impedit, poterat exteras nationes omneis facile cōtemnere. Posteaquam uero Religionis diuersitas, hominum uoluntates immutauit, ipsa quoq; Respub. langue re cœpit & debilitari. Priuatum suum quisq; commodum spectat, & quomodo consistere possit, suumq;

AD IMPERII PRINCIPES.

suumqe statum tueri, ne quando à uiciniis opprimantur, cogitat. Hanc omnium pulcherrimam nactus occasionem ille, tumultuatur, & saeuit omnis generis persecutionibus, omnemqe spem præcludit exminationis, ut aduersarios eo uehementius offendat, alteram, hoc est, suam factionem in officio retinet muneribus & amplissimis pollicitationibus, eo uidelicet tendens, ut nos committat. Quod si fieret, dirempturus ipse litem scilicet, ad nos accederet, comitatus exteris populis, qui iam pridem nihil ita cupiunt, atqe specimen aliquod exhibere sui roboris et uirtutis, in Germania, quemadmodum nos fecisse uident intra ipsorum fines, à multis nunc annis:

Tritum est quotidiano sermone proverbiū, quo dicitur, cum in supremum cacumen aliquid evasit atqe deductum est, ibi tum illud consistere, & paulatim ad inclinationem denuo spectare. Fuerunt olim Germani multum agrestes atqe inculti, carebant omni literatura, bellis tantum & uenationibus, & ijs rebus intenti, quae corporis robur firmare possunt, & animum ad suscipienda pericula reddere constantem & imperterritum. Multis deinde post temporibus, transiit ad ipsos Imperij dignitas, eaqe tunc occasione facti sunt cultiores. Cumqe Deus meditaretur haud dubie letam rerum uicissitudinem inducere, nobisqe demonstrare suæ beneficentia, uelut clarissimi solis, radios, inuen-

F  
tum

## ORATIO SLEIDANI

tum fuit apud nos insigne quoddam, & nunquam  
satis laudatum artificium, typis excudendi libros.  
Abundauit Græcia quondam præstantissimis in-  
genijs, Italia quoq; sed hucusq; tamen non pene-  
trarunt. Nostrū uero homines, primum ex cogita-  
runt, non absq; præsentī & certissimo Dei benefi-  
cio. Quæ res, cum incredibilem adferret commo-  
ditatem literarum & artium studiosis, excitati fue-  
runt omnes ad cognoscēdum, & pedetentim cœpe-  
runt homines aliquid plus uidere in literis, quām  
prius uidissent. Nec enim ignotum est, senibus pre-  
sertim, quām imperite & insulse & obscure & fœ-  
de, artes omnes, ipsorum temporibus, tractarentur.  
Posteaquam igitur hoc tantum adminiculum a-  
pud nos extitit, eruditius paulatim ceperunt doce-  
ri artes omnes, reuocatus est in usum uetus & pu-  
rus sermo latīnus. Ad Græcam etiam, aliasq; lin-  
guas non pauci animum adiiciebant, summus erat  
animorum ardor, nemo non cupiebat aliquid co-  
gnoscere perfectius, & erat iucundissimum specta-  
culum, uidere tantum feruorem & diligentiam in  
discipulis pariter & doctoribus. Qua quidem ra-  
tione factum est, ut Germania prius inculta, breui  
tempore sic ornaretur uiris doctis, ut nulli planè po-  
pulo concederet. Post renatas disciplinas & exor-  
tum lumen istud melioris doctrinæ, tanquam præ-  
nuncium aliquem insignis futuræ mutationis, illicò  
subsecutus est illustrissimi solis fulgor, ipsa nimis  
rum

A D I M P E R I I P R I N C I P E S .

rum Euangeli⁹ prædicatio , in eoq; munere tanta  
sunt usi dexteritate nostri homines , alijs omnibus  
rebus necessarijs instructi , tantamq; diligentiam ad  
hibuerunt , ut Theologiam , in illa communi clade ,  
& depressione bonarum artium , fœdatam & obscu-  
ratam , reduxerint ad genuinum & pristinum nitos-  
rem , ita quidem , ut certò statuendum sit atq; faten-  
dum , respexisse Deum in nos clementer admodum  
& paternè . Sic igitur existimo , non fuisse Germa-  
niā ullo unquam tempore in tam illustri & sublis-  
mi loco positam , ut nunc est .

Quod cum ita sit , etiamsi uiueremus in altissi-  
ma pace , necnulla sese proderet simultatis , aut dissis-  
dijs scintilla , metuendum tamen esset nobis , & pro-  
uidendum , ne , quod ferè fit in rebus humanis , &  
quod alijs gentibus accidisse compertum est , idem  
nobis quoq; accideret , ut ne in summo gradu con-  
stituti , deturbemur in præcipitum . Nunc autem ,  
quando in hoc rerum fastigio sunt exortæ contens-  
tiones & offendentes acerbissimæ , quid metuendū ,  
aut quid expectandum est nobis aliud , quam futu-  
rum , ut Deus , qui tam cumulate effudit nobis o-  
mnia sua , propter ingratitudinem nos affligat ? Sed  
ō miseriam & calamitatem ingentem . Dissidemus  
odijs , plusquam capitalibus , & suscipimus inimici-  
tias acerbissimas , alter in alterum , omnes unius pro-  
uinciae & regionis homines , communem habentes  
patriam , idq; in illius gratiam , qui & antea semper

F ij uarijs

## 25 ORATIO SLEIDANI

uarījs modis Germaniam ludificauit, & nunc etiam amare non potest, imò perditam uelit, nihilque magis optat, quām uidere illam ciuili sanguine redundantem & conspurcatam. Oppressit & extinxit ueram Euangelij doctrinam, & nunc postquam illa resumpsit uires, iterumque illuxit, concutitur orbis tumultibus, & odiorum incendijs. Prædixit quidem has dissensiones omneis ipsa scriptura: Semper enim erunt ueritatis & Euangelij hostes. Verum eò magis cauendum est nobis, ne consociemur cum ipsis, & hoc potius elaborandum, ut hæc præstantissima Dei dona reuerenter agnoscamus, & complectamur.

Scimus omnes, in quanto splendore & obseruantia omnium hominum aliquot seculis uixerit Romanus Pontifex. Iam uero conspicimus, non modo potentiam eius imminutam, sed existimatatem quoque uehementer labefactatam esse nulla uia armorum. Quin eo spectaculo permouemur? quare non cogitamus, prænunciasse Deum per Prophetas hanc ipsius ruinam & interitum? Fatentur quidem ex aduersarijs nonnulli, & nunc tandem tentur, quando negari non potest, multa esse à Romanis Pontificibus inuicta, quæ reformationem postulent, quædam etiam esse prorsus abroganda. Confessionem hanc superioribus annis nemo potuit eis extorquere, nūc tandem agnoscunt, Quod siue callide faciant, & insidiose, siue cädide & serio,

cupe

AD IMPERII PRINCIPES.

cuperem nihilominus ex eis cognoscere, cum tēm-  
poribus facti peritiores, plus uideant, quām hacte-  
nus uiderunt, cur non cogitent, fieri posse, ut alia  
multa, quae nondum ipsi uident, clare uideantur  
ab alijs, præsertim, quum toties, hoc nunc repeti-  
tur, à Pontifice, qui diuinos propemodum hono-  
res arrogauit sibi, non posse aliud, quām impietas  
& blasphemias proficisci. Cur igitur ab eo non di-  
grediuntur, imo uero, cur, ut ei gratum faciant, rem  
adeò tristem, luctuosam & funestam moliuntur in  
uicinos & socios, & collegas, eiusdem ortus & pa-  
triae, sanguinis etiam propinquitate commenda-  
tos? Si peccant ignoratione, non est in hac luce ue-  
ritatis excusabile: Si pertinacia & odio, deploran-  
dus est nimirum Germaniae status.

Ante annos uiginti, & eò plus, Deum immor-  
talem, quanto maiorem spem præbuisti orbī futu-  
ræ emendationis, illustrissimi uiri, quando in certa  
quædam capita collegiis omnia, quae tum uide-  
bantur uobis in Pontificatu esse prorsus intollerabili,  
& deinde scripto comprehensa, in publico Im-  
perij comitio, coram exhibuisti ea Pontificio lega-  
to: Quin eam retinuisti constantiam octo post an-  
nis apud Augustam Vindelicorū? in quæ quidem  
Comitia cum essent intenti prope omnes homines,  
adeò nihil tamen fuit emendatum in ijs, ut etiam  
illi, qui præter uim & autoritatem humanam ad  
disputationes nihil adferunt, initio statim profite-

F iij rentur,

## ORATIO SLEIDANICA

ientur, se non decreuisse quicquam uelle immutare  
 uel statuere aliter, quam hactenus in regno Pontis  
 ficio fuisset obseruatum. Hanc uocem tam absurdam,  
 & duram adeoq[ue] tristem & plenam desperati-  
 onis, protulerunt ibi Theologi & Iurisperiti uestri.  
 Si preter mandatum uestrum, & sua quadam spon-  
 te, dolendum est sanè, tantum illis in re tam ardua,  
 priuatim licere. Sin autem uestro iussu, uidetis ipsi  
 quantopere factum istud uestrum degenerarit ab  
 illa generositate animi & prudentia, quam osten-  
 distis, quo tempore, & abusus illos intolerabiles,  
 numero centum, petijstis aboleri, & simul Pontifisi-  
 cis legato respondebatis, nihil uos in Lutherum  
 posse grauius decernere, ideo quod uitia ille multa,  
 quæ non possint dissimulari, crederetur detexisse.  
 Repetite, quæso, memoriam eius temporis, & uis-  
 dete quam fuerit illustris, hec uestra confessio. Ma-  
 nebit illa semper literarum impressa monumentis,  
 nec ulla uetus fas eam delebit. Videte, propiusq[ue]  
 considerate, quænam sint illa, quæcum cupiebatis  
 à Pontifice uel corrigi, uel in uniuersum aboleri. Si  
 diligenter inspiciantur, comperietis illa manasse ex  
 eorum officina, quos pulcherrime depingens, &  
 prænuncians, ille ueri monstrator spiritus, ait exer-  
 citatissimos esse in omni genere rapinæ, habere ocu-  
 los libidinis & auaritiae testes, ac in errorem addu-  
 ctos homines, deuorare. Cur enim emendari uoluz-  
 istis ea, uel prorsus abrogari, nisi quod callide, insi-  
 diose

## AD IMPERII PRINCIPES.

diose & auare à Romanensibus excogitata, uestras  
& populorum uestrorum facultates exhaustirent,  
ac nimis magna seruitute uos constringeret? Non  
ne fuit hæc causa uestrae querelæ? fuit sanè. Cum  
autem ea primus omniū indicarit Lutherus, quem  
admodum ipsi non diffitemini, quid nunc, illius o-  
dio, Pontifex, qui uos tam grauiter & affixit & lu-  
dificaluit, propugnatur?

Quod si ferendum fuisse putatis Lutherum,  
modo constitisset intra eiusmodi uitiorum repre-  
hensionem, nunc uero, quia longius sit euagatus,  
aliam esse rationem existimatis, nihil certè uestram  
hoc excusat constationem, aut tarditatem, qui ea  
quorum ille uos admonuit, quæcūq; uos recte iudica-  
stis ab ipso fuisse patefacta, non emendastis in hunc  
usq; diem. Sed largiamur hoc uobis, longinquam  
illam progressionem Lutheri uobis displicere non  
iniuria, ueniamus ad rem ipsam, hoc est, ad ea, quæ  
publicè & serio petijstis à Pontifice uel mitigari, uel  
omnino tolli. Certe, quod supra diximus, uerum  
est, illa omnia tam esse tetra, fastus, ambitionis, au-  
ritiæ, petulantia, & rapacitatis plena, ut à nemine  
potuerint, uel cogitari solum, absq; scelere, consti-  
tui uero & mandari non potuerint abullo, nisi ab  
illo ipso, quem Daniel, ac post eum Paulus prænun-  
ciarunt, aliquando summam in templo tyrannidem  
occupaturum. Nisi enim omnem ueram religio-  
nem, & puram doctrinam extinxisset antea, non fu-  
isset

## ORATIO SLEIDANI

isset ausus tam execranda, tamq; manifeſte, non impia modo, sed & ridicula, proponere ac mandare. Fascinatis autē animis & impia doctrina imbutis, nō erat difficile, quiduis & persuadere & imperare. Nimirum hi ſunt fructus illius doctrinæ, quam contra præceptum Dei, quaestus gratia, suæq; dignitatis & honoris constitutendi cauſa, inuexit. Quæ qui dem doctrina, niſi fuifſet impugnata scripturæ testimonijs & authoritate, quo uſq; tandem putatis eum fuifſe progressurum. Insatiabile quiddam eſt auaritia, neq; ſibi frenos iniici patitur ambitio, præſer-  
 tim, quando non deſt successus. Qui fuifſet igitur immensæ cupiditatis & ambitionis modus, idem quoq; futurus erat terminus imperandi, & noua quotidie decernendi. Nunc uero, ſi tantas iniurias, & contumelias, quibus uos adfeciſt, concequere po-  
 testis, & leniter interpretari, niſium hercle patienter id facitis, & uidendum eſt uobis, ne potius ignauiaſe ſit tribuendum iſtud, quam uel moderationi,  
 uel temperantiae. Respiciendum eſt enim, non ſolum ad hæc illius, quæ diximus, mandata, ſed cogi-  
 tandum eſt, quid antecesserit ea, et quemadmodum prius ille deuastarit omnia, quam huc impudentiae & uesaniae descenderit. Cogitandum etiam, quid  
 p̄t̄terea facturus fuerit, niſi diuinitus detectæ fuifſent eius artes. In primis autem considerandum eſt, hanc ipsius auaritiam & rapacitatem, ob oculos  
 positam eſſe in Prophetarum & Apostolorum scri-  
 ptis

## AD IMPERII PRINCIPES.

ptis, ideoq; nunc, postquam est pates factus, execrata  
dameius else, ac modis omnibus fugiendam societatem. Hoc etiam certò statuendum, nullam rem  
piam, honestam, salutarem, & laudatam, deinceps  
ab eo expectandam. Inebriauit enim orbem terrarum, illo suo uenefico, & plusquam Circæo pocula,  
dementauit omnem Europam, & meras insti-  
tuit idololatrias, ipse interim, non tam Idolorum  
cultor, quam Epicureus, omnem religionem con-  
temnens, & honorem sibi uendicans, qui soli Deo  
debetur.

His adeò de causis, adoritur ipsum Deus, per-  
cellit, uerberat, flagellat, turbat, non ut Dauidem  
aliquem, aut Hiob, uel similes, afflictionum & pa-  
tiētiae nomine claros heroas, uerum ut Pharaonem  
& id genus alias terrarum pestes. Non enim suspi-  
rat, non ingemiscit ad Deum, ut remittat iram, ut  
mentem largiatur emendationis cupidam, sed sub-  
limis & acer & fastuosus, opibus nefarie acquisi-  
tis, & regum subsidijs egregie circumseptus, ut pu-  
tat, in magna securitate uiuit. Nam publicas orbis  
calamitates, quibus hodie diuexamur, ab eo ueluti  
fonte prouenire putat, quod ipsius & maiestatem et  
sanctitatem, & beatitatem, non satis reuerenter ag-  
noscant homines. Nullum ipse suum scelus, nullā  
impietatem agnoscit, causam malorum confiden-  
tissime transfert in eam doctrinam, quam, quia uel  
non recipiunt homines, uel quia receptam fastidi-

Gunt,

## ORATIO SLEIDANI

unt, neq; pijs moribus ornant, idcirco Deus haec nobis immittit uerbera. Quid, num extat ullum similes obstinationis exemplum? Vos appello, uos inquam, Principes, qui non ignoratis, eum, quoties uel publice, uel priuatim ad uos aliquid aut scribit, aut nunciat, in han omnino sententiam id facere. Ex uobis, qui doctrinam istam salutarem nondum in uestras ditiones admisisti, quidam pendetis a doctoribus uestris, hominibus, ut lenissime dicam, nimium præfractis, qui uastatorem illum Tyranum efferunt supra nubes, & rationem & æquitatem omnem, quod eo detestabilius est, quo magis & pertinacius hoc faciunt contra conscientiam, illi præsertim, qui & sunt & haberi uolunt cæteris peritores. Cuperem igitur ex his ipsis cognoscere, num hæc tanta, tamq; non humana potestas, quam finguunt, sit ei propria & peculiaris, an non? Si debetur ei soli, cur ipsius maiores, Episcopi Romani, qui temporibus Apostolorum proximi sunt, non arrogarunt illam sibi? uel si arrogarunt, cedo, num adeo fuit illustris & ingens, non uerbo tantu & ostentatione, sed reuera? Sin autem constat, & ipsi negare non possunt, humile fuisse primordium, & paulatim uix magna difficultate auctum, si probari potest euidentissime, Caroli Magni temporibus, authoritatem illorum multo fuisse minorem, quam postea sub Henrico quarto, et sub hoc inferiore, q; sub Alberto Cesare, & tunc non fuisset antum splendor eius, quam

A D I M P E R I I P R I N C I P E S .

quam fuit postea sub Sigismundo , fatendum est profecto , nullo satis firmo uel stabili fundamento , causam ipsorum nitit.

Bonifacius octauus, ille, simplicitatis, & innocentie nomine celeberrimus, inter alia præclare magnificeq; gesta , reliquit posteris tale decretum , ostportere omnes , qui uelint seruari , & regni cœlestis participes fieri , obtemperare per omnia Romano Pontifici . Quid, num decretum hoc laudant & propugnare uolunt isti ? Si laudant & tuentur, quæso, cur ante ipsum , Romaní Episcopi complures , caput istud fidei, tam necessarium , tantiq; momenti non præceperunt hominibus , quorum suscepereant curam ? Cum ipsis figant, refigantq; leges , cum alterius decreta conuellant , & quisq; pecularis ter omnem potestatem sibi sumat , mutandi , statuendi , quæ uelit , pro ratione temporum , neq; teneri uelint suorum antecessorum legibus , qua ratione potuit decretū istud à Bonifacio promulgari , cum incertum esset , an proxime successurus ei Pontifex , idem esset ratum habiturus , an propositurus aliud ? Et utratum esse debeat , queri tamen potest , an Bonifacio sit habenda fides , quoniam seruator & redemptor noster , ait eum , qui non per ostium intrat in ouile , furem esse ac latronem . Bonifacius autem , quanam uia peruenit in ouile ? sanè per loca deuia , per anfractus & lacunas : Nec enim in ouile fuit ingressus , uerum in speluncam & Asy-

G ij lum

ORATIO SLEIDANI

Ium nefariorum hominum, in illud ipsum antrum,  
in quo tandem oppressus ab Hercule Cacus, incre-  
dibilem uiciniis circum populis attulit letitiam. At  
tamen, quis fuit illius ad hoc, seu ouile, seu antrum,  
aditus & ingressus? Num uitæ sanctimonia & eru-  
ditione, & uirtute aliqua excellenti, aut electio-  
nes sincera concordit ad eum honoris gradum? an  
inuitus eò pertractus est, ut quidam aliarum pro-  
uinciarum Episcopi, uiri sancti? Minime: sed frau-  
de & circumuentione, uiam sibi patefecit. Certum  
hoc est, neque negari potest. Et quam erat foedum ini-  
tium, tam quoque fuit turpis administratio, super-  
bus, contumeliosus, intolerabilis, regum & impera-  
torum perpetuus hostis, cuius et ignominiosus fuit  
interitus.

Hic tam non poenitendus patriæ pater, deces-  
tum illud solemne, cuius antea meminimus, præ-  
cepit omnibus obseruandum. Ex ijs, qui præcesser-  
unt ipsum, & si non multò fuerunt innocentiores,  
nemo tam rotunde, tamque confidenter fastuosam  
hanc sententiam tulit, ut hic, quam si laudare uolūt  
isti & defendere, per me sane licebit: Sin autem ter-  
giuersantur, & resiliunt, & nō obscure significant,  
opus esse quadam in eo moderata & commoda in-  
terpretatione, cedo, cur à plurimis nuncannis The-  
ologi & Iurisconsulti Pontificij, decretum hoc, tan-  
ta grauitate, tamque operose celebrarunt, tam in Ec-  
clesijs quam in scholis & Academijs? Cur illud ip-  
sum

A D I M P E R I I   P R I N C I P E S .

sum tam uarijs , tamq; multiplicib; insuper com-  
mentarijs ornarunt , ac ueluti conuestierunt . Si  
nunc aliter sentiunt , neq; tantam ei tribuunt autho-  
ritatem , quam aliquando fecerunt , obsecro , quan-  
do primum , uel qua ratione facti sunt peritiores ?  
Quum ergo fatebuntur aliquid se plus in eo uide-  
re , quam hactenus , palam fiet , nullam esse causam ,  
cur adeo pertinaciter resistant in alijs multis . Jam ,  
si digrediuntur à Bonifacij sententia , sequitur eum  
turpiter fuisse lapsum in omnium grauissima cau-  
sa , quæ salutem nostram continet , & infinitam ho-  
minum multitudinem , qui secuti sunt ipsum , in  
horrendas errorum induxisse tenebras . Quid ad  
ista respondeant ? Num illud uulgatum & tritum  
allegabunt , etiamsi uel Bonifacius , uel quis alius  
fuerit non satis laudatus Pontifex , idcirco tamen to-  
tum ordinem non esse pudefaciendum aut asper-  
nandum ? Atqui demonstratur eis , tanquam indis-  
ce , nec ipsi poterunt inficiari , primum , Romanos  
Episcopos factos esse temporibus , auariores , super-  
biores , intolerabiores , deinde , scripturam sacram  
tribuere uni cuidam , hoc est , certæ tyrannidæ in Ec-  
clesiam inuasuræ , talem fastum , superbiam , auaris-  
tiam , crudelitatem , & quid non sceleris ? cuius quis-  
dem tyrannidæ authores efferant se supra sortem  
humanam , suamq; potentiam scelere partam , & im-  
piam doctrinam uiueantur . Queso , num aliquam  
huiuscæ tyrannidæ effigiem , aut simulachrum hac

G iij      ætate

## ORATIO SLEIDANI

estate nostra uident aut agnoscunt? Num eiusmodi Tyrannus , quem sic ad uiuum scripture deliniuit, hanc sibi potentiam arrogare possit, ut hodie non die, quando patefactus est, ac grauissimos habet accusatores, cogat homines abstinere ab omni actione, nec aliquid moliri, quod ad doctrinę & disciplinę pertineat emendationem?

An isti, sapientiae & eruditionis nomine celebres, qui totos nunc uiginti quatuor annos, & eodem amplius exercentur, ut quidem uideri uolunt, disputationibus, neque dubium est, quin multa cognoscant, & rectius intelligent, interim tamen nihilominus dissimulant, & ueritatem impugnant, & exacerbant omnia, & communem patriam in grauissimum discrimen conseruent, hominibus iudicio praeditis persuadere poterunt, se facere quod uiros bons in Repub. decet? An non est incredibilis quaedam temeritas illa, quod in hac pulcherrima luce ueritatis, audenti in concionibus & in libris, quos edunt, affirmare, neque Cæfari, neque Regibus pariter omnibus licere, quicquam in causa religionis discernere, & si quod illi consentientes decretum faciant, irritum illud esse, nisi Pontificis Romanius & authoritas accedat? Cogere nos uolunt, ut in eum reiçiamus omnia, qui propter impiam doctrinā & idolatriam, propter immania scelera, & uitam impurissimam, non modo non potest Iudicis personam induere, sed ne in iudicio quidem ausdet

AD IMPERII PRINCIPES.

det consistere. Nonne rationis omne iudicium excessit, in tota uidelicet Germania, Gallia, Hispania, multisq; alijs regnis, non esse tantum aut uirtutis aut doctrinæ & authoritatis, quantum est in exiguo senatu triginta, uel ad summum, quadraginta purpatorum patrum? Proh impudentiam inauditam, & ô te miseram Germaniam, quæ tales tamq; pestiferos foetus, gremio tuo foues aceducas, qui tuorum hostium utilitatem potius, quam tuam spe etant salutem & incolumitatem. Eiusmodi sententiarum & uerborum porteta scribuntur et pronunciantur in uestris, clarissimi viri, ditionibus. Quid de uobis iudicabit atq; sentiet posteritas ipsa, tantam audaciam si non cohercetis? Negari non potest, uersantur in manibus omnium, libri, qui ista continent, neq; desunt ex uobis, qui suis in disceptionibus, ut ægre faciant aduersarijs, illa mirifice commemorant, repetunt, et exornant, quasi taliæ sint, quæ summam nostræ salutis complectantur. An putatis maioribus uestris, qui fortiter saepe restiterunt superbiæ Pontificum, & Imperatores, ut idem facerent, hortati sunt, sicut memorie proditum est, unquam in mentem uenisse, ut cogitarent, futurum aliquando tempus, adeò tenebricosum et infelix, ut eiusmodi uoces emitterentur, aut à posteris reciperentur?

Si qua in Repub. Iudices præsiderent, homines famelici, auari et indocti, qui precio redempti, quid uis

## ORATIO SLEIDANI

uis facerent, qui propter male & iniquè administra-  
 tum ius, poenam essent meriti legibus præfinitam  
 & omnino tales, de quibus grauissime conquerere  
 rentur omnes: cedo, num ad illam publicam omni-  
 um querimoniam, ijs ipsis, qui essent accusati, per-  
 mittenda sit formularum & iuris emendatio? Fin-  
 gamus, hic apud nos in Germania Senatum esse  
 Cardinalitium, illum dico, quem tantopere suspici-  
 mus, obseruamus, reueremur & admiramur Sena-  
 tum: Videas omnes Patritios, præsertim illos, qui  
 bus per ætatem & ualeitudinem sit integrum, ita  
 uiuere, quasi cupiant & uelint omne genus uolu-  
 ptatum hic exhaurire, quasi post mortem nihil sit  
 quod delectet amplius: uideas nullam eos obire uel  
 suscipere muneris Ecclesiastici partem, non docere  
 quenquam, non discere quicquam ab aliquo, sed  
 omnes ipsorum cogitationes & studia spectare so-  
 lum ad opum & honorum amplificationem: uide-  
 as, qui sunt cum ipsis, familiares & domesticos os-  
 mnes, representare uitam & mores dominorum, or-  
 riatur deinde communis omnium querela, de libi-  
 dine & auaritia, & rapacitate ipsorum intolerabili,  
 quæso, num sit futurum ualde ridiculum, si causæ  
 cognitio deferatur ad hos ipsos proceres, qui publis-  
 cè accusati, poenam sustinere debebant, & in ordi-  
 nem cogit? Nonne, si præter illa crimina, superbiam  
 quoq; coniungerent, eoq; progrederentur temeri-  
 tatis, ut iudicandi etiam potestatem sibi sumerent,  
 &

AD IMPERII PRINCIPES.

& alios excluderent, in hanc aut similem, ut sequitur, sententiam eis responderi possit:

Quid istud est rei nouæ, Patres conscripti & purpurati? An ludicum personam uobis etiam sumitis, qui tam estis grauiter accusati? Num emendationem uitiorum & abusuum instituitis? Atqui præter morem istud est. Hactenus enim id solum dedistis operam, ut quacunq; ratione quam locupletissimi facti, plurimis accumulatis sacerdotijs, uiueretis quam suauissime & mollissime. Si qualem oportet, talem institueretis & doctrinæ & disciplinae & uitæ, morumq; emendationem: iam sanè plæriq; uestrum exiguum & tenuem admodum sitis habiti familiam, qui nunc in amplissimo luxu & magna rerum copia securissime uiuitis. Quid est causa, uel quo iusto titulo tantas possidetis opes? Quænam sunt istæ uestræ tam eximiae uirtutes, quæ tantam merentur remunerationem? Num & uestis longior, & illud, quod uesti superimponitis, lineum in dumentum, & rasum ex præscripto caput, & gestis culationes, ceremoniarum, quas ad ludibrium ex cogitationis ipsi, plenæ, tanti sunt momenti? Nam ut omnes undiq; causas conquiratis, nihil habetis aliud profectò, quod possitis obtrudere. Sed & haec ipsa, quæ tamen leuissima sunt & planènugatoria, quibus inhærent, ac uelut inadūcitatæ sunt nihilominus uestræ possessiones omnes, contemnitis, uiscarijsq; uestris, insimæ fortis hominibus, ea com-

H mendas

## ORATIO SLEIDANI

mendatis, & obeunda relinquitis. Vos interim ita  
uiuitis, ut nisi uestitu aliam personam sustineretis,  
nullum inter uos & lenones futurum sit discrimen.  
Quid, num moderanda uobis hæc uidentur & cor-  
rigenda? Verumtamen facile colligimus, non futu-  
rum à uobis initium huius correctionis, ac pruden-  
ter facitis in rem uestram. Sed quid si uobiscum ita  
transigeretur, ut ea, quæ nunc possidetis, non adi-  
merentur uobis, & ut uos deinde uicissim abstine-  
retis à persecutionibus, non impediretis Euangelij  
cursum, & ex his ipsis facultatibus ac bonis, quæ  
sunt amplissima, decideretis certam aliquam & me-  
diocrem portionem in scholarum et collegiorum  
et pauperum et Ecclesiæ ministrorum necessarios  
usus? Faciunt hi uestrum officium, quia uos ne-  
gligitis et contemnitis: Vos illorum dilaniatis as-  
limoniā et uiscera, Tam iniquè commutaſtis inui-  
cem: Scholis autē et ministris doctoribusq; uerbi,  
ciuitates, & Respub. carere non possunt, et æquum  
est, ut habeantur non illiberaliter. Prospexerūt qui  
dem illis maiores nostri, Reges etiam et Cæsares,  
ualde copiose: uos autem illa soli deuoratis, ethi fa-  
me contabescunt. Cur hanc tam non iniquam, sed  
humanitatis et officij plenam conditionem non ad-  
mittitis? Plærīq; omnes ita interpretantur, metues  
re uos, quod si permittatur Euangelij doctrina, fu-  
turum, ut uestra prorsus imminuatur authoritas et  
uilescat, ut, etiam si non auferantur uobis annui  
prouens

AD IMPERII PRINCIPES.

prouentus, illud tamen sic accipiant homines, quas si precario et singulari beneficentia principum ac magistratum fiat, etiure posse uobis illa singulis temporibus auferi, qui nunc dominium in illa uobis et proprietatem uendicatis.

Hæc si uestra mens est consilium, facile intellegi potest, nullam uos unquam admissuros esse res etiam moderationem, sed in primis & diligenter laboraturos, apud Cæsarem aliosque reges, ut impeditis eam, quemadmodum hactenus fecisse uos & ille lam impediuisse, plæriquo confirmant. Iam uero, res nostræ sic habent, ut necessario multa sint aliter constituta & mutanda, omnes etiam iudicio prædicti, sic existimant, aut hoc esse faciendum, aut insig- nem aliquam expectandam rerum perturbatione. In uobis nihil habemus repositum spei, quia doctrina & eruditione caretis; Deinde, si qua est in uobis non reprehendenda, nec illaudata uoluntas, ea tamen est avaritia & ambitione corrupta. Postremo, sic uitam instituitis, ut propemodum cogamur de uobis omnino desperare. Quid igitur faciendum est? Non desunt nobis uiri docti quam plurimi, pacis & concordia cupidi, sunt & principes & principum consiliarij non pauci, qui uident, quomodo sit huic morbo medicina facienda. Posit ne à uobis hoc impetrari, ut uestro permisso nobis liceat, certam religionis & doctrinæ formam constituere, ut profligaretur quicquid est in ea uitiosum, et Ger

Hij mania

## ORATIO SLEIDANI

mania lætum recuperaret ac pium ocium, quo certe religio & scholæ carere non possunt. Dirempti sumus à uobis, & Alpibus & mari, nihil apud uos affectamus, idem ut uos quoq[ue] uicissim apud nos faciatis, equum est. Precamur uobis omnia prospera & salua, hoc est, sanam mentem, à uobis interim pessimus, ne nostrum hoc tam necessarium & pium institutum impediatis. Adeò non est contemnenda Germania, ut inter omnes etiam populos, insigne & honestum obtineat locum. Non potestis hoc uobis arrogare, quasi maior sit in uobis uel rerum prudenter, uel eruditio, uel uitæ sanctimonia & integritas. Quod si uos, numero paucissimi, potueritis ante hac uidere, quemadmodum moderandæ essent omnes per Europam prouinciae, quid obstat, quomodo nus etiam nos, numero superiores; doctrina uero et rectitudine iudicij uobis non inferiores, uideamus ea, quæ tam ad salutem nostram, quam ad Germaniæ tranquillitatem pertinent: præsertim cum uos, priuatis tantum uestri Senatus et ordinis cōmoditatibus intenti sitis: nos autem, publicam gentis nostræ, imò si per uos liceat, totius orbis, & uestram adeò spectemus incolumentatem. Certè ab eo tempore, quo regnum istud uestrum floruit, nullum estis unquam experti, tam acrem & uehementem hostilem impetum, nullis etiam temporibus usi fuisse istis unquam adeò uarijs & multiplicibus administrulis.

Initio

## AD IMPERII PRINCIPES.

Lambeth 57

Initio, quā in uno solum homine tota huius beli moles consisteret, cum hic ipse uester hostis, & à uobis damnatus, & à Cesare, uestrum sequente p̄iudicium, proscriptus, & omni propè humano deſtitutus effet auxilio, facillimum erat, ut quidem uia debatur, huic malo mederi. Cur autem in re pecuniariter ad uos pertinente, tam fuitis negligentes? Aut sane contempſistiſ, aut non potuistiſ aliud preſtare. Si contempſistiſ, pudere uos debet, si non potuistiſ, mirum hoc uidebitur omnibus, præſertim posteritati, quòd rem adeò facilem factu, non perſeritis, iſi locupletiſſimi, regum insuper muniti et amplificati præſidijs, qui tunc erant uobis addictiſſimi, quorum etiam eſtiſ uſi non ſemel in hoc negoſcio, strenua & fideli opera. Quoties enim tempus incidit, ut illi uestro fauore & beneuolentia carere non poſſint, ibi uos ab iſiſ hoc inuicem extorquent, ut opem & patrociniū uobis promittant. Qui factum eſt igitur, quò minus illi, quod & iſi ſua ſponte cupiebant, & uobis non ſemel pollicitiſunt, perſecerint? Aut non placuerunt eis uestræ ratioñes, aut alijs rebus impediti, non potuerunt, tam uestræ, quam ſuæ iſiſorum expectationi ſatisfacere. Dilatum eſt igitur remedium in hunc uſq; diem, ſed utrius partis commodo uel incommodo dilatū eſt? Equidem opinor, uos nihil hic magnopere uelle gloriari, tanquam de re prudenter ſc̄eliciterq; administrata. Quam igitur ſpem habetis reliquam?

H iij Armis

## ORATIO SLEIDANI

Armis & ui frustra pugnabitis. Nam & præteries  
runt occasiones, & auctæ sunt nimium uires eorum  
quos petitis, & alienantur à uobis indies magis atq;  
magis hominum animi. Num autem putatis futu-  
rum, ut redeant in gremium uestrum aduersarij?  
frustra certèputatis: nam terrent eos uestigia. An  
uero sic existimatis, non laturum esse Deum hanc  
illorum à uobis defectionem? Profecto, incertus  
est admodum hic euentus, nec est uerisimile, uos  
tam fore uiuaces, ut tempus illud spectetis: Quem-  
admodum enim uestram illam, nec puram, nec in-  
nocètem uitam, diu pertulit summus rerū modera-  
tor Deus, ita quoq; fieri potest, ut uestris aduersa-  
rijs, longius aliquod temporis concedat spacium,  
quam uos existimetis. Quin potius agnoscitis æ-  
quissimum Dei iudicium, qui uos ad hunc modum  
raptat & exagitat? Princípio, quum exiguus esset  
numerus eorum, quos capitaliter odistis, nihil præ-  
termittebatis acerbitatim in illos. Deinde, cum au-  
ctiores facti, patrocínium & tutelam inuenissent a-  
pud Príncipes aliquot & ciuitates, uestra quoq;  
fuit aucta superbia, quando principibus intermis-  
nati, cogitabatis eos omni & ditione & dignitate  
prorsus exuere, secuti uestra, maiorumq; uestro-  
rum decreta, quibus, tanquam fossa & uallo, licen-  
tiam uestram circumsepsistis.

Et quanquam hæc omnia estis conati, tamen  
non potuit esse tanta uestra diligentia, quin illi uo-  
bis

## AD IMPERII PRINCIPES.

bis & scientibus & insipientibus, crescerent, & nūc  
in eum sint amplificati modum, ut etiam h̄, qui nō  
dum se coniunixerunt cum ipsis, male de uobis &  
minus præclare sentiant. Abhorrent à uobis plæ-  
riꝝ omnes, & mali ominis aues uos esse putant.  
Cum ad comitia legatos mittitis, illi sic accipiun-  
tur, ut facile intelligent, multum ueteris illius & au-  
thoritatis, & gratiæ uobis perijſſe. Quid uobis est  
animi, cum ista recitantur? Num uetus illud, & uo-  
bis familiarissimum, uos cōsolatur, illud dico, quod  
Honorius Papa Friderico secundo Cæſari dicitur  
nunciasse quondam. Agitari quidem posse nauicu-  
culam Petri fluctibus & undis, non etiam opprimi.  
Verum quidem est istud, sed is, qui nauiculam hāc  
gubernat, adeò uos uehementer inuasit, & corri-  
puit, ut merito sit trepidandum uobis & expau-  
scendum. Si uestri aduersarij sic possent à uobis co-  
herceri, solum ut ex uestro præscripto loquendum  
eis esset, pulchre uobiscum ageretur. Nunc autem  
ita res habet, ut illi p̄siteantur, se demonstratu-  
ros, omnium uos hæreticorum esse nocentissimos. Ad  
hanc palestram uos prouocant, sunt in procinctu,  
nec illum aut laborem aut periculum in eo defugi-  
unt. Vos autem quid interea? dissimulatis, resilis-  
tis, eluditis, & quid non? Tandem in angustias coa-  
cti, sententiam hanc apud Cæſarem priuatim pro-  
nunciastis: Ineundam & firmandam esse amiciti-  
am cum alijs omnibus regibus, indicendum primo  
quocq

ORATIO SLEIDANI

quoq; tempore Cōciliū, corroganda contra Turcā  
cam auxilia undecunq; augendum esse foedus, con-  
tra uestros initum aduersarios, ut hac ratione terre-  
antur, & in officio retineantur, ut qui sint orbī Chri-  
stiano pernicioſiores, quām ipsi Turcæ.

Meministis opinor, quo in loco cōsiliū hoc, ut  
longē saluberrimum & uobis cōmodissimum, pro-  
posuitis. Quid autem Conciliū publici mētione-  
tam ardenter facitis? Prius, quām iusta pugnetur  
acie, uelitationibus & equeſtrībus prēlijs, tanquam  
prēludijs quibusdam, res agi solent militiæ. Morem  
hunc prudenter etiam in ista causa sunt imitati no-  
ſtri homines. Conflictati sunt non semel disputati-  
onibus aliquot leuioribus, in quibus quid actuū  
ſit, & quomodo, ſatis à uestris accepistis legatis. Ve-  
ſtri propugnatores, quos habetis in Germania, ma-  
ximo noſtro & diſpendio & dedecore, conductos,  
ita rem gerunt inepte, iuulfse, & imperite, ut etiam,  
qui ſpectatores aſtant ipſorum ſodales & collegæ,  
pudefiant. Quod cum ita ſit, quomodo uel instru-  
etis aciem in iusto & conſerto prælio, uel hostem ex-  
pectabitis? Certè niſi proferatis alia, q; hactenus  
fecistiſ, admodum eritis ridiculi. Non iam permit-  
titur, ut iudicandi potestatem uobis arrogetis, ue-  
rum torquentur in uos grauiffima tela criminatio-  
num. Quocirca uobis cogitandum eſt diligenter,  
quanto uestro detimento & ignominia futurum  
ſit illud, ſi uos in publico theatro totius orbis con-  
tingeſ

AD IMPERII PRINCIPES.

tingeret ad eum modum superari & consilescere. Nam ut omnia uestra priuilegia, & quicquid omnino uobis usui esse potest, coaceruetis in unum, et in Concilium adferatis, ut omnes undecunq; Theo logos & Pontificios Iurisconsultos acutissimos, ue strarum partium defensores, adducatis eò: tamen fieri non poterit, quin & tempus, quod omnia detegit, & communis hominum sensus, & pudor ipse, multa uobis extorqueant, que fatenda uobis erunt & concedenda, multa inquam, quæ pertinaciter op pugnastis antehac, & propter quæ plurimos conie cistis in acerbissimas calamitates & miserias. Pu blicè sient ista, spectantibus & audientibus omnibus omnium prouinciarū populis. Deum immor talem, quantus ibi fremitus, quanta consurget in uos hominū indignatio? Sed non ita serio fortasse Concilium urgetis, ut appareat ex illa uestra consul tatione proposita. Qui potest enim uno eodemq; tempore & cogi Concilium, & bellum in Turcam suscipi? Pariter ista fieri non possunt, per interualla poterunt, hoc ipsi non ignoratis, alioqui nullam ex ratis facturi mentionem. Grauiter fuit interpellatus Leo Pontifex de Concilio, sed tum nouam fuit auspicatus ille tragœdiam, cuius quam sit luctuosus & funestus exitus, etiam hodie satis experimur. Adrianus uidebatur esse paulò simplicior, quam qui uestris moribus conueniret, cuiusmodi etiam fuerit eius interitus, non nescitis. Qui successithuic

I Clemens

ORATIO SLEIDANI

Clemens Papa, sice egit et uixit toto sui Pontificatus tempore, ut qui innocentiam eius uelit hominibus approbare, nihil aliud agat, quam ut fidem in rebus alijs omnibus ipse sibi deroget. Penè exciderat Iulius ille sacrosanctus: Cum impetrari non posset ab eo Concilium, adeoq; monarchæ indicerent illud, quid ipse? fulminabat, proscribebat, execrabatur eos, & omnium prædæ exponebat, necq; desunt hodie, quibus hoc illius mandatum & fulmen magno constat.

Si tunc ille ferre non potuit legitimos conuentus, quo tempore doctrinam eius & religionem nemo impugnabat, sed hoc solum agebatur, ut ipsius immensa rapacitas, & animus uindictæ cupidissimus coherceretur: Quomodo sit uerisimile, uos hodierno die subituros iudicium, quando non solum estis accusati de uita plusquam Epicurea, deq; Tyrannide, uerum etiam de hæresi & Idololatria, qua & totum orbem nostrum polluistis, et Deo grauis simam fecistis contumeliam: Quomodo, inquam, sustinebitis iudicium istud, presertim, cum subsidiū illud uestrum unicum & firmissimum, amiseritis, hoc est, cum è tribuñali uos deturbauerint, aduersarij, necq; iudicandæ litis potestatem uobis permittant? Cur à multis nunc annis armastis reges in pœlia? Cur, quo tempore Concilium erat coactum, tu multuum aliquando fuisse authores, ac turbas cōcitastis repentinæ? Nonne, ut Concilium uel nul lum

A D I M P E R I I P R I N C I P E S .

Ium coiret , uel coactum, dissiparetur? Num potes-  
tis inficiari? Quod si tunc temporis, adeo uobis  
metuistis ab aliarum gentium Episcopis, qui non  
una de causa, uos, tanquam Romaní Tyranni so-  
cios atq; familiares, criminabantur: Qua tandem  
fronte hodie sustinebitis impetum, non unius tan-  
tum Collegij, sed omnium penè populorum, qui la-  
bes uestras ibi patefacient, & iniurias plurimorum  
annorum, à uobis acceptas, commemorabunt, eo q;  
uehementius & miserabilius recitabunt, quò ma-  
iori uos tyrannide coherciuitis eos, & adegitis, ut  
omnia secum mussitarent? Ad hunc modum uos  
excipient publici conuentus: Recte igitur facitis,  
quòd defugitis illos.

At quis superioribus proximis annis, interpellauimus uos, dicetis, opinor, de Concilio, missis ad  
uos, eo nomine legatis nostris. Verum est istud &  
agnoscimus, Patres conscripti. Sed quo id consi-  
lio fecistis? Non alio certe, quam ut euelleretis il-  
lam hominum de uobis opinionem, existimanti-  
um, impedimenta per uos iniici perpetuò. Cum q;  
non ignoraretis, quid passim de uobis sentirent  
omnes, ausi tandem fuiustis, concilij mentionem fa-  
cere. Clemens etiam Papa, semel ausus fuit, toto  
sui pontificatus tempore, sed ita proposuit, ut satis  
indicaret, se non emendationem spectare, sed altissi-  
mum ocium & tranquillitatem. Sic enim habet  
eius oratio, quam per legatos denunciauit in Ger-

I ij maniam.

## ORATIO SLEIDANIO

maniam. Ociū autem illud & tranquillitatem, quomodo cogitabat stabilire sibi suæq; sedis? Praesedisset ipse cognitor & iudex, Regum stipatus armis, & aduersarios, non agnoscentes ipsum, eiusq; sedem, condemnasset. Hoc ille compedium spectabat, & uos quoq; spectatis illud omnes, etiam hic Paulus Tertius, qui cum ad Pontificatum peruenisset, ut specimen aliquod illustre daret sua probitatis, illud, quod uocant Breuiarium, repurgabat, ineptis quibusdam fabulis ex eo sublatis. Nonne speciosum hoc est, ac magnum argumētum animi, ueram & solidam reformationem meditantis? Non dubium, sed ecce quæstiosa fuit etiam illi hæc ipsa repurgatio. Nec enim licebat in eo Breuiario uersari, nisi certam pecuniam quis dependisset. Quid hoc? Nonne uerum est, quod scriptura testatur, uos habere mentem exercitatissimam in omni genere rapinæ?

Post hanc ostentationem animi non pessimi, coepit prehensare & ambire, quasi ualde cuperet publicum orbis Comitiū, sed illud in Italia cogi uolebat, ut Clemens etiā, non in Germania, nihil ueritus, irrita facere tam multa Imperij decreta, quibus hoc sanctum est, omnium ordinum assensu, ut intra Germaniæ fines cogeretur. Clemens erat arrogans, ut qui & illa Imperij decreta contemneret, ac tanquam rector & dominus orbis, conditiones etiam & leges præscriberet futuri Concilij, quæ tales erant

AD IMPERII PRINCIPES.

eant, ut si locum habuissent, facile, quò uolebat,  
r& spectabat, peruenisset. Paulus uero, qui nō igno-  
raret, quemadmodum excepte fuissent hæ Clemens  
tis conditiones a repudiatæ, nullas quidem ipse le-  
ges ferebat, ut humanior esse uideretur & lenior,  
alterum uero non magis remittebat, q̄ Clemens,  
& Italiam uolebat esse Concilij sedem. Fuit igitur  
exceptus hac parte, non aliter quam ille. Et quo tem-  
pore sic instabat, multa iam erant & non obscura si-  
gna futuri per Italiam belli, quod cum anno sequen-  
ti ortum esset, homo sædulus & uigilans, oppor-  
tunitatem hanc speculatus, quo tempore bellum  
ardebat, palam indixit Concilium, quod, cum  
non coiret, grauibus interiectis impedimentis, ille  
factus animosior, pergebat, & orbis deplorabat mi-  
seriam, quod salutis suæ tempus negligeret. Acne  
quod omnino boni pastoris officium prætermittet-  
ret, utq̄ omnes homines uiderent, quam serio rem  
ageret, quod Mantua constituerat habere Conci-  
lium, Vincentiam transtulit, Venetorum diti-  
nes oppidum, aliquanto uicinius Germaniæ, sub  
illud ferè tempus, quo Cæsar & Gallorum rex, Ni-  
cæam Liguriæ uenturi erant, belli componendi, si  
fieri posset, causa. Interea quosdam ex uobis, Pa-  
tres conscripti, Vincentiam emandabat, Concilij  
inchoandi gratia. Quo cum nemo ferè accederet,  
uos illius Legati, ut iurestrum officium faceretis, re-  
formationem eorum, quę maximè necessaria uobis

I ij uides

ORATIO SLEIDANI

uidebantur & præcipua, instituistis, è quibus & illud est, ut meretriculæ, tam uestræ, quam uestrorum satellitū, moderatius agant, nec ita palam conspiciatur in tanto uestium & ornamentorum luxu, uectæ per urbem equis exquisitissimè cultis & phaseratis, comitante illas cursorum & famulorum turba, sed & illud, ut excludantur è scholis Erasmī Colloquia, neq; iuuentuti permittatur eorum lectio. Quid uero, nonne præclarū istud est, auspicatumq; procēdium?

Ethæc quidem tam non paruī momenti, uos, et senes, & docti homines, à summo Pontifice delecti, constituistis, & constituistis postea, quam ille uos iureiurando constrinxerat, ne quid omnino dissimularetis eorum omnium, quæ uobis, à multa & graui consultatione, uiderentur esse necessario emendanda. Post hanc uestram adeò salutarem, & doctrinæ & disciplinæ Ecclesiasticæ, & morum correctionem, factæ sunt inter Cæsarem & Galliæ regem, apud Nicæam, decem annorum induciæ, quo tempore, quum crederetur, illud à uobis inchoatum Concilium posse perfici, propter reconciliationem Principum, ecce, magnum & insperatum silentium. Pontifex enim, tanquam pacis & induciarum author, Romam triumphās inuectus, continuit se, perq; totum quadriennium, in altissima quiete & ocio, de Concilio, ne uerbum quidem unum, publice, sed recens ante biennium, eunte magnis

AD IMPERII PRINCIPES.

magnis viribus in Turcam Germania , crescente  
iam , & non multò post erumpente nouo bello in-  
ter Cæfarem , Galliæq; regem , denuo Concilium  
apud Tridentinos indixit , cuius , quem ipsem fū-  
turum præuiderat & optabat , is fuit exitus . Quos  
usq; tandem ludificabitis orbem terrarum , & in pri-  
mis ipsam Germaniam : Etsi præ cæteris gentibus  
ingenij laudem uobis arrogatis & acumen , intelli-  
guntur tamen à Barbaris Germanis uestræ technæ ,  
ac ita quidem prorsus intelliguntur , ut , quoties  
Concilij mentionem spargitis , ludibrium esse pu-  
tent omnes , uel mediocri iudicio prædicti : sic enim  
iam assueuerunt uestris artibus . Quia non multum  
uos à præcipitio distare uidetis , ideo circumspici-  
tis & inuestigatis , quæcunq; potestis diuerticula .  
Cur autem criminamini uestrros aduersarios , quasi  
multò sint nocentiores orbi Christiano , quam ipsi  
Turcae ? Num ideo , quoniam optatis ante Turci-  
cam expeditionem illos opprimi totos et deleri fun-  
ditus ? Nimirum eò pertinet consilium illud uestrū ,  
cuius antea meminimus , ut foedus aduersum ipsos  
initum , augeatur . Verum ipsi adeò non reformis-  
dant lucem , ut nihil magis cupiant , quam palam si-  
eri , uosne , an ipsi plus noceant Reipub . : Iam olim  
ad hoc certamen uos inuitant , & cupiunt pericu-  
lum facere : sed uos , dum ad publicum orbis Comis-  
tium rem omnem reiçitis , male uobis consulitis .  
Nam interea , magnæ fiunt accessiones ad illos , &  
uos ,

## ORATIO SLEIDANIA

uos, ut est credibile, nondum estis ad Concilium  
instructi.

Sí nostris in finibus esset, ut supra diximus, Car-  
dinalitius ille senatus, & in impurissima uita sibi  
rantam sumeret potestatem, rectissime possent, ut  
mihi quidem uidetur, ad eum modum, sicut expos-  
suimus, interpellari. Duæ sunt omnino causæ, cur  
aduersum Tyrannos concitentur homines, odium  
& contemptus. Nam amare nemo potest illos pro-  
pter uaficiem & crudelitatem. Si præterea sint uo-  
luptuarij, contemnuntur etiam, quod Sardanapa-  
lo, quod alteri Dionysio, multisq; alijs contigit. In  
hoc autem Senatu concurrunt ambæ causæ. Rap-  
citatem ipsorum, plusquam Verrinam, experti su-  
mus. Mollitiem autem & uoluptates, & ea quæ si-  
ne pudore nominari non possunt, an aliquis igno-  
rat? Et quanquam haec ita se habent, tamen, quia  
sunt aliquanto remotiores, nec in oculis & conspe-  
ctu nostro uersantur, obstupescimus ad illorum me-  
tionem, ac diuinum aliquid esse putamus. Interim  
habent illi suos, in Germania præsertim, defenso-  
res, ex ihsq; redemptos aliquot, qui quoniam in hoc  
tanto splendore Solis, nihil uidere uolunt, & Pon-  
tificum potestatem immoderatissime laudant, con-  
scientiam haud dubie suam ipsi uulnerant. Nec es-  
timus aut ignorantia deinceps, aut excusationi  
locus. O utinam sentiat Germania, quantam ac-  
cepit plagam ab isto hominum ordine, quod eō  
misere-

AD IMPERII PRINCIPES.

miserabilius est ac magis impiū, quò sceleratius est,  
patri aut fratri uim & manus inferre, ut externum  
& alienum, hostem patriæ, defendas.

Ad hunc ergo modum quia se res habent, Principes & ordines clarissimi, quoniam insitius hic Tyrannus, ille est, qui sedet in templo Dei, qui se passus est, immo uoluit & iussit, ut numen aliquod, coli & obseruari, qui nouum doctrinæ genus, Prophetarum & Apostolorū doctrinę contrarium, ex cogitauit, in eoq; fœdiss. exercuit nundinationem, qui potestatem libi sumit, non solum homines iudicandi, uerum ipsas quoq; scripturas interpretandi, detorquendi, et accommodandi quoq; uelit modo, qui matrimonium institutum à Deo uetus, qd nullus unquam fecit Tyrannus, quantumuis inhu manus & atrox, qui, post uetus matrimonium, fenestram aperuit & uiam patefecit ad omne genus libidinum, quibus & ipse, tanquam author huius tam nefariæ legis, concitatus furijs ultricibus, omnium spurcissime ferè contaminatus est, qui nunc, posteaquam detectus est, ut Apostolus prænunciavit, totis viribus oppugnat ueritatem, qui, tanquam alter Nabuchodonosor, omnes, quotquot statuam eius non adorant, & ipsum, ut terrenum numen, summam obtinentem in animas & corpora nostra potestatem, non reuerentur & colunt, crudelissime persequitur, qui præ cæteris populis Germaniam non semel circumuenit, risit & opibus ex-

K hausit

ORATIO SLEIDANIA

hausit, qui tametsi uidet à plurimis iam se destitu-  
tum esse, licet intelligat multos ad defectionem spe-  
ctare, quanquam non ignorat, paulatim ab aliena-  
ti plæroscq; securus tamen persistit, & quasi nullum  
esset in ipsius uita flagitium, non præbet ullum pœ-  
nitentia signum, his, inquam, de causis deserens-  
dus est, ac fugiendum ab eo, tanquam ab omnium  
mortalium nequissimo. Sic meritus est ipse, sic ip-  
sius maiores, denobis, ut liceat ab eo quacunq; tan-  
dem ratione recuperare, quæ per uim & dolum no-  
bis ademit. Sedet intentus, et speculatur omnem oc-  
casione concutiendæ Germaniæ: Quia Tyrano-  
nus est, neminem amat, odit omnes, & odit à mul-  
tis iam seculis, & quò quisq; potentior est, hoc ue-  
hementius eum odit, & ut aliquem præter naturam  
& morem suum diligat, Germaniam tamen & nos-  
stram gentem amare non potest, nec enim causam  
habet, ac quoties de nobis cogitat, in mentem ei ue-  
niat oportet, illud ex Comœdia: En fundi nostri  
calamitas.

Quàmdui superesse putat inter nos aliquot,  
nō alienos à se, tamdui simulabit benevolentiam,  
uerum hæc tanta essenon potest, quin cupiat totam  
stirpem excisam esse, dum cogitat, eos ipsos, non  
tam Romanæ sedis causam defendere, quàm pro-  
prium spectare commodum & emolumentū. Itaq;  
grauia molitur in animo, neq; dissimulat, uos, qui  
turpem eius dominatum à uobis profligastis, dig-  
nos

AD IMPERII PRINCIPES.

nos esse, qui possessionibus omnibus nudati, nullum in Repub. locum honestum, nullam inter homines retineatis autoritatem, non obscurè præfert, si tota dissideret ab ipso Germania, Cæsar etiam, auferendam esse nobis libertatem omnem, ius & priuilegium creandi Cæsaris, & hęc omnia trans̄ferri debere in aliam gentem, quamcunq; ipse uelit, ut qui sit dominus & author Imperij. Continenatur haec ipsius impressa monumentis & decretis, ita quidem, ut negari non possint, & ex ipsis multi protestat̄ hanc sibi sumpserunt. Arrogauit̄ hoc sibi præ cæteris, Bonifacius ille octauus, dum accinctus ense, & coronam triplicem, inauditæ superbiae testem, capite gestans, in aspectu & oculis omnium hominum, fastuose pronunciauit, se Cæsarem, simul & Pontificem esse. Tuus etiam, Ioannes Friderice, patruus, Saxonie dux Fridericus, & post eum, parens tuus, intellexit non obscure, cogitare ipsos, illud, quod suis inseruerunt aliquando decretis & constitutionibus, perficere. Pleni sunt Iurisconsultorum Pontificiorum libri, plenae sunt eiusmodi sermonum & interminationum, conciones ipsorum. Habent hoc, illi, non ita pridem emissi dialogi, nostra uulgari conscripti lingua, quos ex uobis quidam magnifice prædicant editis etiam libellis.

Hęc omnia nouit ille, & quid suorum maiorum decreta præcipiant, non ignorat, & quoniam

K ij utilis

## ORATIO SLEIDANIA

utilitatem insignem habent, cum ad Pontificatum  
admittitur, iure iurando promittit, ea se diligenter  
obseruaturum. Si dissimulat hodie, si non tam fre-  
quenter allegat illa fortasse, quam tres illi, qui pros-  
xime ipsum antecesserunt, facit hoc, temporibus in-  
seruiens: callidus enim est ueterator, sed dubium  
non est, quin uehementissime cupiat, illud se posse  
confiscere, quod & maiores ipsius constituerunt, &  
quod ipse praeципuum esse uidet, retinendae suæ di-  
gnitatis propugnaculum. Ut autem quod uult co-  
sequatur, difficillimum esse uidet, ac fortasse des-  
perat, aliam itaq; uiam ingreditur, exacerbat ani-  
mos, alit dissidia, nec in eo quicquam prætermittit,  
ita futurum sperat, ut quod ui sequi non potest, ar-  
te perficiat et insidijs, dum eò spectat, ut Germania,  
ciuilibus concussa bellis, robur & splendorem om-  
nem amittat. Summa igitur diligentia prouiden-  
dum est uobis, Illustrissimi Príncipes ac Ordines,  
ne quam ei patefaciat ampliorem uiam, ad uos pe-  
netrandi: Videtis in eo perfectissimum Tyranni-  
dis exemplar. Duabus omnino rationibus, ferè con-  
trarijs, gradum atq; locum suum Tyranni conser-  
uant. Inest autem in utraq; & dolum & simulatio &  
malitia. Nam & potentiores uicinos atq; ciues des-  
bilitant, & prudentibus insidiantur, & operam dāt,  
ne recte homines instituantur, & factiones alunt, et  
plebem cum nobilitate committunt, et amicitias di-  
rimūt, & uarijs negocijs exercent populum, ne tem-  
pus

AD IMPERII PRINCIPES.

pus & ocium habeat ineundi aduersum ipsos consilia: Deinde, ut quam proxime videantur ad legitimum & regium dominatum accedere, prae se ferunt, quicquid faciunt, se Reipub. causa facere, sed in primis, amorem religionis atque studium simulant, ut populus & libentius pareat, et Deum metuat ultorem, si quam ipsis uim inferat: excellentes etiam uirros honoribus augent aliquando, ut iustitiae retinuant opinionem, ijsdemque uirtutibus, quas in alijs & laudare uidentur et admirari, credantur ipsis quoque esse ornati. Nonne palam has artes omnes conspicitis in illo? Cauendum est itaque uobis maximopere,

Propter facultates ac opes Ecclesiarum, nata est inter uos & aucta, sicut plerique omnes putant, odiorum acerbitas. Non est digna sati, neque laudata causa, cur in mutuam perniciem coniuretis. Vos, quibus est iniusa Romanensium nequitia, sic uos comparete, in eosque usus Ecclesiæ, pauperumque bona conuertite, ne qua deinceps oriatur suspicio, magis emolumenntum spectare uos & compendium uestrum, quam religionis propugnationem. Qui male uobis cupiunt, admodum istud exaggerant, eoque uos nomine grauiter non semel accusarunt. Et quamquam non dubium est, quin plerisque uestri ordinis iniuria fiat, tamen est fortasse non nemo culpatus. Quoties ad hanc criminationem respondetis, affirmatis, omnium eorum bonorum uos reddituros si

K iij delem

ORATIO SLEIDANICA

delem & exactam rationem, eoꝝ ipso certe fatemini, quiduis potius faciēdum esse uobis, quām ut homines existimēt, uos illa uobis ipsis, non etiam pijs & necessarijs usibus, impendisse. Vos, qui pro retinendis, quas ueluti per manus accepistis, Ecclesiarum opibus contendit, etiam atq; etiam cogitat, quemadmodum, & quos in usus, illæ sint olim contributæ, respicite, quām ex uobis nemo suum faciat officium, proponite, quām sint multi facti miseri uestra culpa, quando uictum & alimoniam ipsis debitam, uos præripiūstis, & soli dissipastis. Nam si sunt Ecclesiæ bona, sicut ipsi fatemini, uidete, num ea sint percipienda uobis, qui nullum Ecclesiæ munus uerum & necessarium, unquam obiūstis. Optima quæꝝ facillime corrumpuntur & degenerant: Fuerunt aliquādo maiores uestrī, sed multis ante sacerulis, fideles Ecclesiarum ministri, & quāmdiu tales erant, nihil eos diuītiæ mouebant, ad quas posteaquam adiecissent animum, statim negligere ceperunt officium, magis atq; magis, donec eō tandem uentum est, ut Ecclesiaſticum ordinem nemo quisquam affectaret, nisi diuītiarum & ocij consequendi causa, quod ipsum non negabitis opinor. Et hodie, quando beneficio Dei doctrina illuxit, uestris aduersaria commoditatibus, & idcirco uobis inuisa, conuertitis illa ipsa bona, quæ nomine & titulo Ecclesiæ possidetis, ad euersionem huius doctrinæ, quæ nihil quidem uobis eripit, sed uos

AD IMPERII PRINCIPES.

uos officij solum uestri commonefacit, & ad meliorē frugem inuitat. A uobis factū est initium turbarum. Qui Reipub. bene constituendae formulas tradiderunt, cauendum esse dicunt, ne functio magistratus, sit illis, qui administrant, quæstuosa, & uiuendum ipsis esse putant, uel ex re familiarī, uel ex ærario publico, ne, si priuati ciues uideant illos ex Reipub. bonis ditescere, se uero non solum ab honoribus, uerum etiam à spe commodi remoueri semper & excludi, commoueantur. Ethoc qui dem illi consulunt ihs magistratibus, qui suas cogitationes omneis atq; studia ciuitatibus impendunt. Iam ad uos ipsi respicite: Creuistis in immensum et opibus & numero. Quod proprium est uestri miseris, negligitis atq; contemnitis. Ad istud uitæ genus, quod quæstus tantum gratia suscipitis, nulli patet aditus, nisi qui sit moribus & instituto uestri similis. Et cum maximas habeatis onerum ciuilium uacationes ac immunitates, nullam tamen adfertis Reipub. commoditatē. Hęc inæqualitas non potest non parere offensiones.

Objiciuntur uobis magna criminā, uos nihil ad ea respondetis, non tollitis manifestos abusus, non corrigitis errores grauissimos, in Pontificem omnina rejecitis, neminem esse spoliandum clamatis, & supra uiginti nunc annos hanc ipsam catilenam castitatis, nullam interim bona mentis significationem exhibetis, fidem & patrocinium Cæsaris imploratis, ac

## ORATIO SLEIDANI

tis, ac emendationem earum rerum, quæ sine turpitudine ac flagitio tolerari non possunt, dicitis pertinere ad Imperij dedecus, quasi Cæsar has uestras labes propugnare debeat. In Pontificis & Romanensium disciplina, moribus, & tota uita, nullum uidetis laudatum exemplum: neq; nescitis, quibus artibus illi Germaniæ spem & expectationem eludant. Quousq; putatis hæc esse differenda? Status endum est aliquid omnino, Germania uos genuit, non utin ipsius perniciem cum externis coniuretis, uerum ut salutem eius procuretis & tranquillitatē. Tempus haud dubie multa uos docuit, scitis ipsi, quæ fuerit sub pontificatu uita. Sunt amplissimæ, quas tenetis, opes, & ad omnem luxum uobis sufficiunt. Moderationem res ipsa postulat: Si & scho lis, & Ecclesiarum ministris, & alijs necessarijs usibus decidatur ex ijs ipsis facultatibus, arbitrio bonorum uirorum, non habetis ueram querimoniam causam, satis superq; uobis erit, & fortasse plusquam expiat. Cur hanc rationem non initis pariter, & amicè transfigitis? Hoc tandem omnino faciendum est, si patriam uultis incoluem. Quoniam uos doctrinam infestatis utilem, salutarem & orbī necessariam, illi putant uobis auferenda esse, quæ nocent, arma. Hinc omnis inter uos digladiatio, quæ quæ sit habitura finem, respicite tandem, & patriæ uos calamitas permoueat. Genus estis ac soboles prisorum Germanorum, quos exteræ quoq; gentes lauda-

AD IMPERII PRINCIPES.

laudarunt semper ab animi robore & integritate: Plurima sunt moliti contra nos, odio doctrinæ, Pon tifices, à quorum facinoribus utinam essetis omnes remoti. Decet hoc masculam Germanorum uirtus tem, eoçq; magis absterrerii uos oportebat, quò clarius ipsi uidetis, nihil haçtenus profuisse cunctas ipsorum technas. Iudeorum olim sacerdotes, ac principes inter se dissidentes, alter alterius odio, crux delissimum tyrannum, Antiochum Epiphanem in uitabant, et adiutores ei fuerunt, ut Idolū in templo collocaref, et ingens fieret per urbē hominum strages: Tantum potest uindictæ cupiditas, & odium. Hoc simulachrū intueri nos oportet. Noster enim Antiochus Ro. quādiu de uestra fide, beneuoleitatiçq; non dubitabit, sperat eò rem deduci posse.

Patefecit omnia tempus, & nunc extant in publica luce, ac conspicuntur ab omnibus, tetra quædam atçq; funesta quorundam, qui uestrī propugnatores uideri uolunt, consilia, quæ non possunt ab ullo, nisi qui patriæ uidere cupiat incendium, laudari, quæ nisi beneficio Dei detecta fuissent, & nūc etiam oculis hominum exposita, quæso, quam eramus habituri Reipub. formam? Satis, adeoçq; nimium haçtenus datum est odij, & amarulentia. Si quid accedat præterea, non potest illud non esse calamitatis & exitij plenum. Et hæc quidem ad uos propriè pertinent, qui nomen ac titulum Ecclesiæ uobis usurpati, qui quoniam inter Imperij principes

L pes

## ORATIO SLEIDANI

pes atq; ordines honestum obtinetis locum, Cæsar  
 rum & Regum munificentia, cogitare debetis, ma-  
 gis, quid Germania postulet, quæ uos genuit, edu-  
 cauit, & ad hunc fortunę splendorem euexit, quām  
 quid ille requirat, mollis & turpis dominator, qui  
 & multorum per Germaniam tumultum, ac bel-  
 lorum author sæpe fuit, & idcirco uos iureiurando  
 sibi deuinxit, ut à patriæ studijs & amore uos au-  
 caret, suamq; magis atq; magis amplificaret poten-  
 tiā. Omnibus autem uobis pariter, nobilissimi Prin-  
 cipes, huius aut alterius factionis, respiciendum est  
 ad posteritatem uestram, ut ad eos & libertatē, &  
 puram Euangeliј doctrinā, & hanç pulcherrimam  
 bonaꝝ artium, literarumq; tractationem, nostris  
 inuectam temporibus, auctam & illustratam, ordi-  
 ne transmittatis. Quod sanè fieri non potest, nisi  
 constitutatis ocium, & operam detis, ut reconcilia-  
 tis animis, nulla fiat inter uos dissipatio. Nam alioſ  
 qui secuturæ sunt, dubio procul, horrendæ tenes-  
 bræ, barbaries atq; feruitus, è quibus erexitur sumus  
 manifesto beneficio Dei, non ita pridem. In sub-  
 limiori gradu Germania nunquam fuit, habemus  
 Cæsarem potentissimum, & uigilantissimum, ex-  
 cultæ sunt omnes disciplinæ, quodq; præcipuum  
 est, lucet apud nos incontaminata uerbi Diuini do-  
 ctrina. Quare, si quod fuit unquam tempus, quo  
 prudenti & graui consilio Germania opus habuit,  
 hoc ipsum est profecto. Videlis, ut Deus nos ur-  
 geat

AD IMPERII PRINCIPES.

geat, nascitur calamitas alia post aliam, inuoluitur uarijs & multiplicibus incommodis, neq; nos explicare possumus. Bella gerunt potentissimi monarchæ, & ita quidem gerunt, ut finem prospicere non possimus: Et tamen his ipsis bellis impeditur omnia publica negocia, quorum neglectus haud dubie pariet extremam miseriam.

Voluntate quidem & animi inquietudine & contentione nihil sumus inferiores priscis heroiibus, ab illorum autem uirtute & animi præstantia & dexteritate, multum hercle degenerauimus, ut de felicitate nihil dicam, quam nemo præstare potest. Bellum certè suscipi debet pacis obtinendæ & confirmandæ causa. Nostra uero bella sunt immortalia, seritur aliud ex alio, neq; dubium est, quin & hæc sit illustris quædam iræ diuinæ significatio et nota, qui requiem ac uelut portum ex his tantis malis, nullum ostendit. Frequentissimos agimus conuentus, adeò quidem, ut apud exterros in proverbium & iocum uenerint Germanorum Comitia. Concilijs & deliberationibus in minima etiam hominum societate & aggregatione opus esse, nemo nescit, uerum, sicut male affectum corpus, reite ratis ac saepē repetitis carere non potest medicamentis; ita quoq; Reipub. non bene constitutæ signum est, in qua de hisdem rebus toties frustra consultatur & decernitur. Fœdus per omnem Germaniam, & quam late Imperium patet, unicum esse debebat, to

L ij tius

## ORATIO SLEIDANIA

tius Reipub. spectans incolumentatem. Nunc vero  
plurima sunt separatim & inter singulos, qd' est ma-  
ximum dubioprocul, & alienationis animorum, &  
diffidentiae, & futuræ dissipationis argumentum. Es-  
quid quod ueriora ista sunt, quoq; magis patent plurimo-  
rum sensibus, eo miseriorem esse conditionem nos-  
stram iudicare debemus, qui tam longe distamus  
ab eo, quem & optimum, et laudatissimum, et in pri-  
mis expetendum esse uidemus, rerum statu. Non  
potest illa Respub. diu consistere, nisi magistratus  
comunem salutem priuatis commodis anteponat,  
Cæsarem uobis dedit Deus, & ita dedit, ut uos una  
cum eo prouidere uelit et procurare omnia, que per-  
tinent ad tuendum istud Imperij corpus: Et sicut in  
apum examine regem esse uidemus, quem sequuntur  
omnes aliae magno studio, & obseruant, & ad  
mellificium intentae sunt, & in aluearium, tanq; in  
ciuitatem aliquam, omnem succum ingenti labore  
quaesitum in herbidis locis, & aduectum ex longin-  
quo, conferunt: ita quoq; uos decet, etiam si modis  
cum haberetis, nec ita potentem Cæsarem, iuuare  
illum ope, consilio, & diligentia, in rebus omnibus,  
ad Imperij dignitatem pertinentibus. In omni Eu-  
ropa, & hoc nostro, quem nouimus, terrarum orbe,  
nulla est eiusmodi, qualis per Germaniam, Reipu-  
forma. Quot enim sunt principes ac ciuitates, toti-  
dem uidentur esse reges atq; capita. Nihil igitur est  
proclivius, q; ut talis Respu. nutet, languescat,  
intereat

AD IMPERII PRINCIPES.

intereat, et collabatur tota, quandoquidem hoc illi  
proprium est, ut in ea suum quisque priuatim spectet  
emolumenntum, & cogitet, quemadmodum ipse, uel  
tueri sua possit, uel amplificare etiam. Quod ubi  
fit, quis alius expectari possit exitus, quam qualem  
Græciae fuisse uidemus? Quamdiu coniunctis uiri  
bus et cōmunicatis consilijs, libertatem illi suam de  
fendebant, erant inuicti. Distractis autem animis,  
et in sua priuatim commoda respicientibus, facti  
sunt præda Tyrannis, et ita pessundati, nullus ut ho  
die sit populus calamitosior, graui seruitute pressus  
immanissimi uastatoris: Qui quoniā in nostra pro  
pè uiscera penetrauit, quæ uiciniores illi sunt gen  
tes, et nunc illum imminentem metuunt, miserabi  
libus lachrymis & suspīrijs opem uestram implo  
rant & expectant, ut liberos infantes, parentes de  
crepitos, filias uirgines, atque uxores pudicas, ab il  
lis et gladijs et nefarijs libidinibus, & stupris eri  
piant. Qua quidem ope, si destituantur, certo sta  
tuunt et uident, evitare se non posse illas ærum  
nas, in quas & alijs complures ante ipsos  
inciderunt, & nos, ipsis oppressis,  
dubio procul incurre  
mus.

L iij Ioan-

JOANNIS SLEI  
DANIORATIO AD CA  
rolum Quintum Cæsa  
rem.



ETERES omnes, qui nul  
lam habuerunt Dei cognitio  
nem, sollicite admodum inue  
stigarunt, Carole Cæsar, ut cer  
tò cognosceret, cuiusmodi sit,  
orbis terrarum, & huius, quod  
intuemur, cœli, fabrica, quo sit  
authore condita, quomodo gubernetur, quis in hos  
minum ortus, quæ rerum humanarum conditio, et  
quemadmodum hæc omnia, quæ cadunt in hæc uis  
tam, singulis temporibus, consistant, immutentur  
& occidant. Non una fuit, nec eadem illorum sen  
tentia, sed qui propius ad ueritatem accesserunt, illi  
sic iudicarunt, proficiisci omnia & emanare, ab uno  
aliquo et perhenni fonte, ac necessario tenere illum,  
quem uidemus, cursum. Et quoniam erant defti  
tuti uera Dei notitia, Fatum appellant, rem scilicet  
iam inde à primis mundi incunabulis ita consti  
tutam, rem fixam & immobilem, quæ omnino uita  
ri non possit. Nos uero, quibus beneficio Dei, ueris  
tatis lumen illuxit, certo scimus, omnium rerum os  
triginem

## ORATIO SLEIDANI.

riginem, statum, progressus, & moderationem, ab uno Deo pendere. Conditum enim est ab eo, quicquid uspiam oculis conspici, quicquid omnino sensu comprehendendi potest, ab eo constituta sunt regna & imperia, solus ipse conseruat eadem, solus amplificat, & cum uult, labefactat, ipse est qui transfert illa, nunc ad hanc, nunc in illam gentem, ut certò statuamus, ipsum esse illum Iouem, cuius omnia plena sunt, iam uero, inter alia multa, quae per orbem terrarum extiterunt, Imperia, quatuor fuerunt, eximiae præ cæteris, & tanquam præcipuae Monarchiæ: Quarum & potentissima fuit atque etiam postrema, Romanorum, ut scriptura multis ante seculis præsignificauit. Quod quidem Imperium tandem occidit, & dissipatum est, ut & illa tria, quae ordine præcesserunt ipsum. Nam & ad Orientem & Occidentem Solem latissime regnauit. Quicquid in Asia tenuit, & quicquid in Africa, totum est amissum. Maximam Europæ & fertilissimam partem possedit: nunc autem ex illa ueluti mole, creuerunt alia multa regna, prorsus ab ipso corpore separata, & nihil omnino reliquum est, præter titulum et nomen, quod adhuc Germania retinet, ad quam postremo est delata potestas creandi Cæsaris: Qui tamen adeò nulla ex parte conferri potest cum ueteribus illis Romanorum Imperatoribus, ut ne sedem quidem ipsam Cæsarum auitam, et priscum domicilium, urbem Romam, teneat. Cæterum,

## ORATIO SLEIDANO

rum, unā cum occasu Romani Imperij, magnam  
cladem acceperunt omnes bonę disciplinę, quę tan-  
dem, augescente quotidie malo, prorsus fuerunt op-  
pressæ & exinctæ.

Postquam hæc tanta caligo litéras & artes om-  
nes inuasit, magnæ quoq; tenebræ sunt consecutæ  
in Religione & doctrina Ecclesiastica. Et quantum  
ad depravationem literarum attinet, uel nostrorum  
temporum senes, hoc ipsum non ignorant. Quod  
autem artium studia magnum adferant momen-  
tum ad Ecclesiasticam administrationem bene ges-  
rendam, hoc in sua domo quiuis paterfamilias pri-  
uatim, & publicè Magistratus ipsi testantur. Ados-  
lescentes enim idcirco mittimus in literarum ludos  
& ad præceptores, ut cognitione bonarum rerum  
exculti, melius & fructuosius inseruiant Ecclesijs  
& Reipub. Est igitur ea, quam diximus, ingens  
quædam calamitas, & tanta quidem, ut à Diluviū  
tempore, quo totus hic orbis fuit inuolutus & ob-  
rutus undis, nulla fuerit maior, imò nec maior esse  
queat, tantam uidelicet, ac tam illustrem Monar-  
chiam, interissime propè totam, & unā cum eius inté-  
ritu, præclaras etiam artes, acueram de religione  
doctrinam, amisisse decus & omnem suum splēdos-  
rem. Quæ possit enim alia euenire horribilior claz-  
des, cum in rebus humanis nihil sit uel melius, uel  
præstantius, uel augustius, quam hæc ipsa, Religi-  
onem dico, litéras & Imperium. Et hoc tantum  
malum

A D C A R O L V M O V T C A E S.

malum, temporibus, ut sit, auctum est etiam, atque  
magis inualuit.

Sed respexit nos tandem Deus, & in Germania rursus excitauit artes, optimarumque rerum scientia, liberaliter admodum & abunde. Atque hæc tam insignis & læta uicissitudo incidit in tempus proæui tui, Cæsar, Friderici Imperatoris, ac post eius mortem, felicissimos habuit progressus imperante aucto Maxmiliano Cæsare: Quod ipsum, tanquam summum & incredibile beneficium, debemus amplecti, quoniam artes omnes Deus & hominibus largitur, & pro suo arbitrio distribuit. Ac inter cæteras quidem Austriacæ domus tuæ laudes, illud etiam in primis numerabit posteritas nostra, quod, quo tempore Cæsareus honos, in uestram familiâ, alioqui clarissimam, uelut illustris quidam sol, illatus est, eo ipso tempore tam pulchra, tamque læta rerum est illico secuta commutatio: Quam alia deinde, multò maior & splendidior excepit Dei beneficentia, quæ tunc demum, posteaquam tu Germania Principum uoce nominatus es Cæsar, initium habuit, & hodierno die mirabilem in modum uiget. Atquî, si quis est omnium hominum, cui rem tantam oportet esse curæ, tu certè hic eris, quem Deus Reipub. Christianæ, ueluti summum iuris præfectum, in hoc nostro orbe constituit. Et quemadmodum hoc ipsum negocium est facile primum inter omnia, quæ cadere possunt in hominum uis-

M tam

## ORATIO SLEIDANI

tam atqe cogitationem, ita quoqe summa postulat moderationem & prudentiam, ne quid in eo uel im perite, uel inconsideratè, uel etiam iniquè suscipiatur.

Iam uero, si cum emanaret primum causa ista, secuti fuissent homines illud Gamalielis consilium, in Pharisæorum senatu suadentis, ui nihil experiendum esse; futurum enim, ut si Deus approbaret, nemo posset resistere; sin minus, facilí momento et sua sponte collaboretur, quod agebatur; sanè prudenter fecissent. Et qui simile consilium id temporis tibi, Cæsar, impertiuisset, immortalem ille & solidam fuisse meritus laudem: Quod hodie pulchre iudicari potest, quando constat, causam hanc, præter omnium hominum expectationem, ingentes ac cepisse uires. Verum adeò crassa fuit per id tempus & densa rerū ignoratio, ut irradientem lucem ab se uellent etiam arcere & amoliri homines, existimantes, ut est apud Platonem, nullum esse melius, aut illustrius uitæ genus, quam illud, in quo tam longo tempore essent uersati. Potest igitur hac ratione probabiliter excusari, quod in i<sup>o</sup>nio restiterunt. Nunc autem, quando propter temporis interuallū, ignoratio non potest non esse coniuncta cum obstinatione, longe aliter statuendum est, atqe consideranda sunt initia, incrementum & progressus. Ac principio quidem, tempore Leonis Pontificis, tanta fuit caligo & foeditas in Christianam inuestigando,

## AD CAROLVM V. CAES.

cfrinam, ut etiam cœlum precio uenderetur, tam non infœliciter, ut negotiatorē ipsi, benedistractis mercibus, non semel redirent in eadem loca, quæstus uberioris gratia.

Porro, non est quòd existimemus leuem hunc esse atq; uulgarem abūsum, errore quodam & temporibus introductum: Sed cogitandum est, grauius ac seriò, diu & multum, quām misere tuū fuerit obscurata pia doctrina, quām deplorata fuerit rerū facies per hunc nostrum orbem, quando ueteratos resisti non uerebantur eiusmodi suas merces apud nos circumferre, quando non dubitatabant pro conscione recitare populo quiduis etiam, quantumuis ineptum, impium et absurdum, quando non modo uulgas hominum, sed Reges etiam ac Principes, in tam tetricis & miseris opinionibus h̄erebant. Non hic tantum error in eo reprehendendus uenit, sed maius quoddam latet haud dubie mysterium, & inexhausta quædam foeditissimarum persuasionū colluuijs in ista sentīna reconditur. Habeant olim domini potestatem omnem in seruos, nō secus atq; in pecudes. Consulit autem Plato, ne uel acerbè uel iracundè nimium, aut crudeliter & dure habeantur. Quod ut facilius persuadeat, hanc addit insignem sententiam, esse optimæ & laudatissimæ naturæ signum, quando moderate quis agit & clementer in illos, in quos alioqui fœuire possit. Maxime seruilis & ignominiosa uita fuit, quam sub

M ij Pontis

ORATIO SLEIDANI

Pontificatu Romano, sub domina meretrice uiximus. Ille uero non tractauit nos, ut herum liberalem & moderatum decet, uerum affecit nos omnis generis contumelia, & onera nobis imposuit, qualiacunq; uoluit, non secus atq; brutis animantibus. Nihil mouit eum nostra, tum inscitia, tum miseria, sed quod crassiorem in nobis ignorationem deprehendit, eò maiorem sibi quaestum ausus est polliceri. Iam, quo tempore nundinationem illam, cuius antea meminimus, per hunc nostrum orbem instituit, necesse est, ipsum aut idem putasse, quod misseris hominibus persuadebat, probam esse uidelicet hanc mercem & minime fucatam, aut non ignarasse, fraudem in ea maximam esse & iudicacionem. Alterutrum ut eligat, oportet. Si serio rem egit & ex animo, fatendum erit, ipsum esse uere natuum Antichristum, cuius authoritate & iussu, res tam tetra primum est excogitata. Sin autem ludum esse putauit ipse, qd est uerisimilius, tyrannum ut appellemus eum, oportet, omnium, qui iam inde fuerunt ab orbe condito, longè crudelissimum, qui nos miseris, in extremam seruitutem redactos, non solum non respexit humanè, necq; exilis, tam densis & horridis opinionum tenebris eripuit, uerum etiam, ut magis affligeret, in rem nostram familiarem & arculas, uelut in medullas & ossa, peruersit. Certo statuendum est igitur, fuisse Deum hoc uno scelere uehementer offensum & irritatum

AD CAROLVM V. CÆS.

titatum, neq; permisurū, ut his Gigantibus id impunè lickerit. Nec enim ullis unquam temporib; ferre potuit Idolorum cultus. Fœdiorem autem et immaniores Idololatriam mens humana comprehendere non potest. Illam igitur ultus est tandem, quo primum tempore tibi, Carole, Cesareus honos oblatus est, tunc demum ad vindictam sibi depopulat aduersarium suum Deus, eumq; sua invicta manus sic constrinxit, ut elab̄i non poslit.

Gubernari autem à Deo negocium istud, multo clarius nunc uideri potest, quam antea, propter ea, quæ nouimus in hanc causam incidisse. Maxima contentione totisq; viribus, doctrinam hanc, Romanus Pontifex ab initio statim oppugnabat, quia præuidebat luculentum damnum. Fulminabat igitur suo more, si quando alias, potentissime, deinde, quod proximum erat, fidem & auxilium tuum, Cesar, implorans, hoc tandem obtinuit, ut in frequentissimo Germaniæ conuentu, causam hanc totam & authorem eius, graui dannares edicto, protestate facta, ut cuiq; liberum esset, manus in eum iniungere, & in carcerem publicum pertrahere. Quid autem? num ratam Deus habuit hanc sententiam? Minime, sed interuerit & abolevit eam, sic ut viribus omnino careret: Atq; uicesimus tertius hic est annus, cum promulgaretur. Non uoluit in ea quicquid ex hominum iudicijs aut uoluntate perfici; cum tamen tota moles uideretur pendere ab uno sa-

M iij lum

## ORATIO SLEIDANI

Ium homine, minime potente quidem illo, sed omnino tali, qui leuiter potuisset, ut existimabant omnes, una cum scriptis deleri & opprimi. Spectaculum igitur exhibuit Deus, illustre admodum, ut uiderent omnes, humana consilia temere contra ueritatem suscipi. Quid igitur actum est? Vix lata sententia, statim exorta sunt bella, quibus ita fuisti, Cæsar, impeditus, ut huic causæ temporis & ocij fatis ad incrementum superesset. Quæ quidem bella gerebas contra potentissimum hostem, per annos nouem, quem si pacatum habuisses, facile poteras, & tuo, et Pontificis, quem tuebaris, desiderio satisfacere. Nam meminisse potes, atque memoriam repetere, si nullum interuenisset maius obstaculum, an non fueris ipsa re, quod uerbis antea feceras, declaraturus, præsertim, cum id temporis per ætatem non posses rei magnitudinem peruidere totam, & ab eorum penderes consilio, qui doctrinam hanc considerant infestissimè. Certè plerique omnes in ea sunt sententia, te non fuisse defuturum expectationi plurimorum, & Pontificij omnes per Germaniam, quocties infortunia sua deplorant, diserte pronunciant, res non fuisse casuras in eum, quo nunc sunt, locum, si non maximis ipse negocij & inextricabilibus fuisses implicatus.

Constantem quoque te fuisse in hac uoluntate, uel ex eo satis appetet, quod annis quincque post illud tuum primum edictum, in ea pacificatione, quam

cum

A D C A R O L V M V . C A E S .

cum Galliarum rege capto constituiti, claris uerbis hoc insertum est, inter alia foederis capita, uelle uos coniunctis viribus Lutheranam sectam euelle, retotam & extirpare. Magna fuit haec sanè conspiratio, neq; mediocriter extimescenda multis. Quid autem est consecutum? Deus iterum obiecit clypeum, quem nulla cuspis transuerberare potuit. Nam illa tantopere captata benevolentia, non potuit coalescere, sed paulò post dissiliit. Redintegratum est bellum, quo sic impediti fuistis ambo, ut decretum illud uestrum, magno plurimorum terrore proposatum, & foedere sancitum, uim omnem amitteret. Sed eo non contenti, triennio post, cum noua fuisset inita pactio, caput illud foederis idem, repetitū fuit à uobis, & hoc insuper additum, impetrandam esse à Pontifice Romano, illam, quam ipsi uocant, Cruciatam, & hac ratione colligendam undecunq; pecuniam, ueluti neruos futuri belli, tam aduersum Lutheranos, quam in Turcam Christiani nominis hostem. Compositis igitur bellis, in Germaniam denuo uenisti, dissidium hoc in Religione ortum, sedatus.

Cumq; in illo Augustæ Vindelicorum Concilio, principes aliquot & ciuitates, qui interea, dum tu bellicis tumultibus obrutus, diu multumq; & longe aberas, doctrinam hanc erant amplexi, religionis & fidei suæ rationem, scripto comprehensam, apud te, senatumq; principum & ordinum exposu-

## ORATIO SLEIDANI

posuissent; decretum quoddam tunc faciebas graue profecto & durum: In eoq; fuit hoc insertum, ut intra præfinitum tempus, & menses ferè quinq;, statuerent illi, num uellent suscep tam sententiā m tueri, an potius eandem, quam tu, quam alij multi, Rel gionem sectari. Quod quidem decretum fuit haud dubie Pontifici pergratum, à quo recens in augurationem Imperij suscoperas: Quo tempore, uerisimile est, illum tibi suam dignitatem magnificis uerbis, & eximie commendasse, maximamq; in te spem repositam habuisse. Porro, si quid eo tempore, per uim & arma tentatum fuisset, difficultius id futurum erat, quām aliquot annis antea, quum tota res, omnium iudicio, penderet ab uno solum homine: Verumtamen, non paulò facilius tum futurum etiam erat, quām fortassis hodie sit. Sed pro ingenij dexteritate, uidebas ingens & luctuosum ci uile bellum excitatū iri, siquidem arma plus, quām æquitas & ratio ualerent, præsertim, quum negotium istud, non iam solum disceptaretur ab hominibus priuatīs, uerum etiam patronos haberet principes aliquot & ciuitates.

Cumq; in hac tam graui & seria deliberatione totus hæreres, ecce aliud quoddam interuenit ob staculum, tanti quidem momenti, ut circumspiciendum esset, quemadmodum ordines omnes conciliarentur, & nec cui præberetur ulla offensionis causa. Corrogandum fuit magna celeritate, quicquid uspi-

AD CAROLVM V. CAES.

uspiam erat auxiliorum, ut irruenti totis viribus in  
Austriam Turcae, iustus opponeretur exercitus.  
Quæres occasionem dedit, ut decretum illud, cuius  
us meminimus, alio leniori commutaretur, ad eum  
sane modum, qui causam ipsam deinde non medi-  
ocriter promovit. Et quia constantiam in nostris  
hominibus insignem haud dubie deprehenderas,  
uisus es deinceps non paulo remissius agere, quam  
antea. Reuersus enim in Hispanias, duobus inter-  
iectis annis, Africanam illam suscipiebas nobilem  
expeditionem, eoque bello feliciter confecto, Nea-  
polim, ac in Italiam inde citeriorem uenisti. Quo  
tempore, quum exultarent Pontificij, tuamque, Cæ-  
sar, uictoriā, suam esse putarent, ipsorum aduersarij  
principes ac ordines Imperij, quos eiusmodi  
plena minarum iactationes latere non poterant,  
missis ad te in Italiam litteris, exponebant, cuiusmo-  
di spargerentur rumores, & quam non obscure qui-  
dam præ se ferrent, pactum illud Norenbergicum,  
& huic annexum edictum tuum Ratisbonense, non  
seruatum iri. Quibus ipsorum litteris, abs teleniter  
responsū fuit, uelle te, maximeque cupere, dissidi-  
um Religionis, ortum in Germania, componere,  
non uī nec armis, uerum æquitate, ratione a chene-  
uolentia, ut hoc certò statuerent, nec aliud sibi pa-  
tentur persuaderi. Et ita quidem respondebas,  
cum esses in procinctu, inque Massiliensem prouinciam  
exercitum ipse duceres, aduersus Galliæ Re-

N gem.

ORATIO SLEIDANI

gem. Cui cum esses denuo post reconciliatus , atq; Pontificij nouam hoc ipso crederent sibi oblatam esse rei bene gerendæ occasionem , ac multa sinistre molirentur , eaç deinde præter omnium expectatiōnem detecta , magnas uiderentur excitatura sediōnes , tu missis ab Hispania legatis , & datis arbitris , non recusabas , quomínus de Religionis doctrina , uiri docti , pacis & quietis publicæ studiosi , comiter & amicè aliquando disceptarent , ut ab ipsis patefacta uia , & ostensa concordiæ ratio , iussu & authoritate tua cōfirmaretur . Aliquot deinde post mensibus , per Galliam facto itinere , in Belgicam tuam reuertisti : Cumç sub tuum aduentum , aliquid quietis impatientes homines , belli ciuilis per Germaniam fundamenta iecissent , ac illam tuam cum Galliarum rege , tales tamç arctam consociationem , sibi quoç futuram utilem arbitrarentur , iamç propemodum insultarent ferociter suis aduersarijs : tu fidei promissioç memor , & fortasse respiciens , quantopere iam esset amplificata causa , cōuentum indixisti publicum : In quo , licet ad uitam spectarent illi ipsi , qui te Galliæ regi nuper coniunctum , nihil non posse perficere putabant , tutamen singulari usus humanitate prudentiaç , rem permittebas in alio Comitio disceptandam inter utriuscç partis homines doctos : Qui paucorum diserum collocutionibus habitis , tanquam præludijs quibusdam & uelitationibus , Ratisbonam abs te sunt

AD CAROLVM V. CAES.

sunt euocati. Quò cum & alijs Principes magno numero uenissent, tu ueram atq; legitimam rationem ingressus, aliud instituebas amplius colloquium, in quo quid actum sit, & quemadmodum, nihil attinet repetere.

Quæ cum ita sint, quid aliud iudicari debet, quam repressisse Deum, & cohibusse consilia tua: sed et ita gubernasse deinceps, ut integrum tibi non fuerit, armis & potentia causam hanc obruere? Si hoc non est illustre quoddam, à Deo præfixum nobis, in quod intueamur, miraculum, quid tum erit? Cogitare nunc Cæsar debes, quam fuerit periculi plenum eorum consilium, qui tibi fuerunt authores, ut illa, de quibus diximus, decreta proponeres, qui tam ardenter sollicitarunt, ut armis rem aggresseris. Volebant & initio, & multis post annis, totam hanc doctrinam, funditus deleri, atq; huc omnem ingenij uim conuertebant. Et nunc in postrema disceptatione, conuenit de certis quibusdam doctrinæ capitibus, quæ superioribus annis, autoritate quidem tua, sed ipsorum hortatu & consilio damnata fuerunt. Nunc ita iudicatum est à plærisque omnibus minime obscure, doctrinam hanc, magna ex parte, non modo tolerabilem esse, uerum etiam utilem, salutarem & necessariam, propter quam tamen doctrinam, à uiginti annis, & eò amplius, complures fortunarum omnium iacturam, & uitæ periculum subire coacti sunt. Negari enim non pos-

N ij test

## ORATIO SLEIDANICA

test, ob solum illud doctrinæ caput, quod est de ius-  
tificatione, latissimè patēs, miserabiliter esse quām  
plutimos uexatos & afflictos. Hanc enim Euana-  
gelij partem, ut præcipuam, ferre non possunt, sed  
crudelissime persequuntur & oppugnant, eo, quod  
omnis ipsorum quæstus, gloria, splendor & luxus  
consistit in illa tenebricosa, & impia persuasione,  
qua locum hunc de iustificatione totum obruerunt  
& contaminarunt. Quid nunc adferant, aut quo-  
modo hanc siam, plusquām Giganteam audaciam  
excusent, quod huius doctrinæ odio, tam multos  
homines in extremas coniecerunt calamitates? Re-  
silire non possunt: præcipuum nostræ religionis ca-  
put, quod est, ut diximus, de iustificatione, sic est illa  
lustratum, ut inficiatio[n]i non sit ullus locus. Pate-  
factus est atq[ue] ob oculos positus, errorum Labyrin-  
thus, quibus erant intricatae omnium hominū men-  
tes. Concedi possit hoc eis fortasse, quod initio non  
tam ingenij prauitate & malitia, quām ignoratione  
quædam, ex longinquitate temporis & consuetudi-  
ne collecta, peccarint. Esto, largiamur hoc eis.  
Quid autem rei est, aut quomodo ueniam merean-  
tur, qui etiam hodierno die, post tam longum tem-  
pus, in hac clarissima ueritatis luce, tam obstinate  
resistunt? Excusari profecto non potest nulla ratione  
hæc pertinacia. Nec enim uocari iam potest sim-  
plex ista ignoratio, quæ ueniam impetrat, sed du-  
plex illa, quam Plato describit, quum quis indu-  
ctus

AD CAROLVM VNCAS.

Ctus fastu quodam & superbia, sibi sumit alicuius  
rei peritiam, aut aliquid tuetur, quod uel nescit,  
uel recte defendi non potest. Et hic quidem affe-  
ctus, quum incidit in hominem alioqui potentem  
& locupletem, magnas concitare solet turbas, ut in-  
quit ille, sicut & hoc nostro tempore coram uide-  
mus, & experimur.

Ac profecto, si nullum haberes aliud, Cæsar, in-  
dicium, facile tamen uideas ex eis, quæ sunt acta  
Ratisbonæ, præfractum eos & amarulentum ani-  
mum ad huius causæ tractationem semper adferre.  
Complures nunc annos litigatum est, multa fues-  
runt ordinum Imperij Comitia, non semel in maxi-  
mo fuit discrimine tota Germania propter hoc ne-  
gocium, nec unquam eò res deduci potuit, obsisten-  
tibus aduersarijs, ut familiaris & amica institueret  
collocutio: Quæ posteaquam nunc tandem à te  
permitta fuit, in eaç de non paucis controuersijs,  
quæ turbas illas omnes excitauerant antea, conue-  
nit, tergiuersantur & pedem referunt, adeoç uerita-  
tem expositam omnium oculis excludunt, & cause  
cognitionem ad Conciliū timide rejeiciunt. Conati  
sunt antehac persuadere hominibus, non esse dispu-  
tandum, & credebantur adeò esse referti telis argu-  
mentorum, ut aduersarij uix momentum unum  
possent in acie consistere, uel pedem conferre. Quis  
uero putasset rem eo deductam iri, ut omnem acti-  
onem in Concilijs tempus relegarent, hoc est, ut le-

N iij g̃itimæ

## ORATIO SLEIDANI

gitimæ cognitioni se subducerent, nec auderent cō  
minus cum hoste congregati, suaq; defendere solidis  
ac ueris argumentis. Promiserant sibi & spem cer-  
tam conceperant, futurum, ut armatus legem fer-  
res, Carole Cæsar, prorsus ex ipsorum sententia &  
uoto, qua quidem spe cum se nunc decidisse uident,  
anguntur animis, & condolescunt supra quām cre-  
di possit, neq; causam esse putant ullam, cur te ma-  
gnopere complecti debeat. Meminisse potes, q;  
atrociter & multipliciter, apud te, suos aduersarios  
non semel detulerint. Iam uero non potes ignorare  
quām id fecerint, non odiose tantum & acerbè, ue-  
rum etiam falsò.

Quoniam igitur ex his quæ recitauiimus, mania  
festum est, hanc causam, nullis humanis aut uiribus  
aut arte, sed solius Dei mirifico & inenarrabili con-  
silio gubernari: Deinde, quoniam omnes omnium  
hominum rationes contrâ suscepτæ & initæ, mira-  
biliter dissipatae sunt, ut constat, æquum est, ut tu  
Cæsar, qui primus es omnium Regum, grauiter &  
serio tecum ista cogites. Nam si spectemus huma-  
na, permultum sanè in te uno positum est. Reges  
aliquot, item principes non pauci & ordines in teso-  
lum respiciunt, & quorundam res ita se habent, ut  
ex te toti pendeant. Contulit in te unum Deus  
complures & florentissimas protiñcias, ac te nobis  
Cæsarem dedit longe potentissimum, qualis à mul-  
tis iam sæculis Germania nullum habuit. His tam  
multis

AD CAROLVM V. CAES.

multis & egregijs populis à Deo præfectus es, non solum, ut ciuilem iustitiam administres, eosq; ab hostium impetu defendas, uerum etiam ut prouis deas & operam des, quò piè uiuant, nec ulla falsa doctrina ducantur in errorem. Per Hispanias, autem possessionem & regnum tuum, uiget supra modum, ea quæ dicitur Inquisitio, & ita quidem uiget, ut & nihil cuiquam effariliceat, & in testimonij cognoscendis magna sit iniquitas. Quod eò periculosis est atq; indignus, quòd huius inquisitionis præfecti, sunt & indocti & auari, & ex eo solum auctoratio uiuunt. Hic certè authoritate tua uehementer opus est. Cum enim longo rerum usu peritior factus, multa, quæ cognosci debent, ignorare Cæsar non possis, & rectius intelligas, ut est credibile, non debes profecto hoc tantum donum negligere, sed pro insita humanitate tua, liberaliter illud ipsum impartiri tuo populo, & sic apud te certò staueret, quòd si Germaniæ sit utilis & salutaris hæc doctrina, non posse illam non esse commodam & necessariam quoq; non tuis modo ditionibus, uerum etiam toti terrarum orbi. Quia de causa Hispaniarum rex Ferdinandus, auus tuus maternus, inquisitionem illam instituerit, notum est, ea nunc sublata causa, debet etiam aboleri prorsus inquisitio. Res certè quidem & legitimè fuit usurpata, in Christianæ professionis homines, Iudaismum sequentes, uerum preter causam et rationem exercetur in eos, qui cupiunt

## ORATIO SLEIDANI

cupiunt agnoscere Christum, & falsam doctrinam omnem student evitare. Quamobrem, si regni tui proceres, ac ordines cō permouere posses, ut emendaretur illa, permultum in eo sanè feceris, pronominis Christi gloria, et plurimorum salute. Nam si quod est in ea uitiosum, non tollatur, asperitatem in se nimis profecto magnam continet, ac omnino tam, cuius exemplum in nullis extat rerum monumentis.

Eadem est plane ratio in tua tota Belgica, quibus in locis multa subinde fiunt decreta, quibus cohercentur homines, ne doctrinam hanc recipiant. Et quo ferè tempore in Germaniam inde profici sceris, motuum dissidiorumq; componendorum causa, diligenter & serio mandare soles per tuas distinctiones omnes, ut in eos, qui doctrinam istam ullo modo sint amplexi, grauiter animaduertatur. Hoc si facis eo consilio, Cæsar, ut interea, dum in Comitio res agitur, nihil illi mutent aut innouent, iam certe causam habes, ut illud tuum perpetuum, & quod singulis annis aliquoties repetitur apud tuos, Edictum, si non aboleas totum, saltē lenias & mitiges, ut ne sic accipiatur, quasi nihil omnino bonis sit in illis ipsis libris, quorum nomina tuum illud decretem complectitur & damnat. Nimirum enim dux rum fuerit, si non accedat lenior interpretatio, neque potuisset initio, cum abhorreret adhuc totus orbis, grauius quicquam à te proponi. Debes autem eo magis

A D C A R O L V M V . C A E S .

magis uel abolere illud, totum, uel moderari pru-  
denter, quòd in illis Ratisbonæ Comitijs ita fanci-  
tum fuit, ut magistratus in sua quisq; ditione emen-  
darent, quæ sine uitio dissimulari non possunt. Re-  
ctè quidem decretum est illud, sed ô utinam rectè  
accipiatur ab omnibus. Parum enim estemendare  
crassos abusus illos & notos omnibus, item caue-  
re, ne quis plura teneat sacerdotia, & utsuæ quisq;  
præsideat Ecclesiæ. Nisi enim fundamentum illud  
uerum faciatur, ipsa doctrina, corruet quicquid in-  
ædificabitur. Nam simulatç uera doctrina conta-  
minata fuit obrutac; falsis opinonibus, illicò ma-  
gnis uiribus & impetu, uelut inundarunt isti, quos  
conspicimus, errores atq; morbi. Ait Plato sape ita  
fieri, ut qui per intemperantiam & gulam incidunt  
in aduersam ualetudinem, nolint frugalius uiuere:  
sed consuetum uitæ genus retineant, & interim sar-  
ciant quomodo cunct; morbos, & eo ipso tamen ni-  
hil efficiant aliud, quam quòd malum exasperant  
& augent. Ac si quis hortetur eos ad uitam magis  
sobriam, ad corporis exercitium, ad uitandum ocis-  
um & uenerem, alioqui medicinam omnem frustra  
fieri, hunc, ait, ferre non possunt, & indignantur a-  
cerbè. Similem, inquit, esse statum Reipub. male  
constitute, in qua ciuibus mandatur, magna propo-  
sita poena, ut præsentem Reipub. formam laudent,  
nec immutare quicquam in ea studeant, aut emen-  
dare. In eiusmodi ciuitate semper aliquid occurrit,

O quod

ORATIO SLEIDANI

quod publicè corrigendum sit & sacerdiendum: sed huius emendationis nullum ait futurum finem aut modum prius, & præcipua illa capita, quæ commitemorantur ibi, sint à populo recepta, & in usum admissa. Quod nisi fiat, simile quiddam dicit euenire magistratui harum ciuitatum, quale fertur de Hercule, qui cum unum aliquid caput amputasset Hydræ serpenti, subinde cogebatur eundem repetere laborem, idemq; subire periculum, nouis perpetuò succrescētibus in illa belua monstris. Similis est plenaria ratio earum, quas haec tenus instituisse uidemur, reformationum.

Sin autem ideo talibus Edictis populum tuum, Cæsar, coerces, quod existimes doctrinam hanc præbere turbis atq; seditionibus occasionem, ideoq; minimè debere concedi, deplorandum id certe foret, atq; optandum in primis, aliter te sentire. Porro, illi, qui conantur auertere Principes ab ista causa, potissimum hoc urgent & inculcat, quasi ijs locis, ubi doctrina ista locum habet, oriatur populi contra magistratus alienatio, quasi luctuosè & tristes ibi fiant rerum immutationes. Vehemens quidem est hoc argumentum, & ad absterendum uim magnam habet; sed iij, quibus illud est frequens & usitatum in sermone, rationem eius aliquando sunt reddituri coram illo supremo tribunal, quod nullam admittit prouocationem. Nec enim ipsi nesciunt, falsum esse, quod affirmant, uerum, quia solidis

solidis & ueris destituti sunt præsidij, confugiunt ad ista nugatoria. Quid autem est facilius, quam eis conuincere falsi? Scriptura clare testatur, à Deo constitutos esse magistratus, & datum eis esse ius gladij diuinitus, quinetiam iubet nos parere minus cōmodo magistratuī: Qua in re iuslui & mandato Dei satisfieri dicit. Hic si forte dicant, recte qui dem præcipere sacras literas: uerum eos, qui populo præsunt, negligere suum officium, neq; dignitatem magistratum satis commendare, iam incumbet eis probandi necessitas, ut demonstrent, quibus in populis existant propter hanc doctrinam seditiones. Hęrebūt istic hauddubie, et probationibus deſtituentur: Utq; largiamur hoc eis, alicubi nouos oriri motus & turbas, ideo ne sequitur ex eo, debere totum hoc imputari doctrinæ? Sed falsi præterea conuinci possunt argumento penè domestico, familiari & quotidiano.

Videmus, ut multi principes & ordines accedant, alij post alios, ad huīus causæ defensionem. Si uel seditionem populi metuerent, aut luctuosum aliquod exemplum eius rei conspexissent in uiciniis, an est credibile, tantam fuisse futuram accessionem? Certum enim hoc est, magistratus omnes nihil minus posse ferre, quam rebellionem. Cum igitur uisitatum hoc illorum argumentum, insidiose conflatum sit ex calumnijs, prouidere debent principes, ac cauere sibi, ne decipiāntur ab eiusmodi susurro-

O ij nibus:

## ORATIO SLEIDANI

nibus. Nam ipsimet adeo, ipsi, inquam, sunt authores omnis, quae possit inter populum & magistratum oriri, alienationis, ut palam est ex eo, quod in Austria nuper contigit. Quia quidem in regione ualde saeuium est hactenus in homines Euangelij cupidos, authoribus nimirum illis, qui ueritatem ferre non possunt. Et hac tandem asperitate commoti proceres nobilium et ciuitatum, supplices obtestati sunt principem suum, fratrem tuum, Cæsar, ut a supplicijs abstineretur, & Euangelij predicatio locum in Ecclesijs obtineret. Qui summis & pijs precibus hoc obtestantur, sunt neq; numero pauci, nec conditione tenues, ut contemni possint, uerum tales, qui modis omnibus cupiunt gratificari & obtemperare suo, quem diuinitus acceperunt, principi. Si uero non impetrant aliquando, quod tanto studio petunt & optant, eaq; tandem occasione fortasse motus & turbæ nascantur, quibus imputandū sit illud potius, quam ijs, qui principem hortantur, ne quid de seueritate remittat, & ut constanter perget. Hi tamen ipsi consultores pessimi: cedo, quinam sunt: profecto pauci quidam, & omnino tales, ut nemini mirum uideri possit, eis doctrinam hanc ingratam & iniucundam esse. Itaq; prudenter & recte fecerunt ijs, quos diximus, proceres, qd regē suum interpellarunt, & ad moderationem hortati sunt, ne quod grauius inde malum exoriatur. Clasrum igitur est ac indubitatum, doctrinam hanc nō modo

modo non parere seditionem ullam, uerum etiam illustrare maximè dignitatem Magistratum, & inscitare populum, ut ijs ex animo pareant. Si ergo propter alteram harum causarum, aut propter utramq; simul, decretum illud, cuius meminimus, fecisti; iam certe rationem uides, cur aliter statui debeat, ut ne arbitrentur homines, non te fuisse per Imperium rationes illas initurum componendi dissidij, si, quemadmodum tuis populis imperas, ita quoq; Germaniae posses imperare. Voluntatem atq; studium tuum, in comitio Ratisbone, multum prædicant omnes concordia studiosi, tibiq; maxima eo nomine gratiam habent; Verum, si per tuas ditiones illa seueritas Edictorum perpetuo uigeat, cogitare, Cæsar, potes, quæ sint hominum futura iudicia.

Cum autem apud tuos piam emendationem Ecclesiarum institues, tunc intelligent omnes, rem serio tandem agi, posteaquam ijs locis, ubi solus imperas, & gubernas omnia, statuis exemplum, quod imitentur alij: Tunc aperte uidebunt, eandem rationem cupere per totam Germaniam retinere, nisi quidam obstarent, quorum affectibus fortasse non possis omnino repugnare. Cor hominis intuetur Deus, nec eum potest quicquam latere: Si quid simulatione, fauore, gratia, uel spe commodi fiat, non etiam ex animo, detestatur illud, nec impunitum sinit, cuius rei multum habemus illustre no-

O iij stris

## 2 ORATIO SLEIDANIA

stris temporibus exemplum. Quod igitur in Austria uides euenisse, debes putare ad tuas quoq; di-  
tiones omnes hoc ipsum pertinere. Cupiunt enim  
homines recte institui, sed & Deus hoc requirit &  
poscit officium a magistratu. Si nimium seuere &  
aspere cum ipsis agatur, si quis animis dominari uel-  
lit, quid aliud tandem ex eo possit oriri, quam moe-  
ror & offensio? Non ignorant, alieniorem te sem-  
per ab hac causa fuisse: deinde autem uident, tempo-  
ribus adductum te, permisisse legitimam discepta-  
tionem, & quae fuerunt ibi conciliata doctrinæ ca-  
pita, non improbasse. Contrà uident, quibus impe-  
dimentis, ac ueluti septis edictorum cohercentur,  
& quantum ipsis, cum fortunarum, tum uitæ periz-  
culum impendeat, si profiteantur illa ipsa, de qui-  
bus in postrema collocutione, tuo iussu institu-  
ta, conuenit. Nonne uero credibile est, hanc se-  
ueritatem excitare magnos gemitus in animis pi-  
orum?

Pertinet igitur hoc Austriacum exemplum ad  
te quoq; Cæsar, & ad tuas prouincias omnes, perti-  
net ad omnes aequi reges. Debent enim principes,  
tanquam fidi pastores, populi salutem per omnia  
spectare, nec habere quicquam in rebus humanis  
antiquius. In causis etiam grauiibus & communi-  
bus, populi iudicium & uoluntatem debent non a-  
spernari: Sed & officiose faciunt ordines cuiusq; re-  
gni, quando suam sententiam, in rebus ad commu-  
nem

AD CAROLVM V. CAES.

nem salutem pertinentibus, bona fide, suis principiis aperiunt. Cogitandum est, omnia regna perdere ab uno Deo, qui solus ea distribuit & transfert pro suo arbitratu, qui multis aliquando regibus sceptrum ademit, eò, quod uerbum ipsius negligeret, quodquia falsam doctrinam & Idolorum cultus non abrogarent. Hic oculos & mentem attollant principes, ac uideant, quomodo se possint approbare Deo. Patefacta nunc est ueritas, & sunt depulsæ te nebræ, nullus est deinceps excusationi locus. Sed aduersarij, ueritatis confessione, ipsis, licet inuitissimis, extortam, reiecerunt in tempus Concilij, sicut antea diximus, qua sola re satis demonstrat, se nihil reformidare magis & expauescere, quam lucē atque solis radios. Causæ cognitionem ei deferunt, cuius & mores, & uita, & doctrina, non capiunt ullam emendationem. Concilium illud nationis nostræ, admittere potius, & saltē uerbis polliceri maluerunt, quam ea, de quibusc in illa disceptatione conuenerat, tum approbare. Tergiuersantur, resiliunt, & querunt omnis generis diuerticula, ne constrin*gi* possint, & tamen uident interim ob oculos, deficere multos ab ipsis quotidie: Vident, modo principem, modo ciuitatem, nunc regnum aliquod in aduersarij castra transire. Belli tempore de Concilio loquuntur, et ferè sit, ut posteaquam uno aliquo bello liberatus es, incidas in aliud, quod inde ab Imperij tui primordio, sic propemodum eueniisse uides.

mus.

## ORATIO SLEIDANI

mus. Hoc simplices isti ueteratores non ignorant: Itaq; differunt actionem, & putant tempus ipsum adferre posse remedium aliquod, ipsis oportunum. interea sunt extra telorum factus, & helluantur in pauperum ac miserorum facultatibus. Ea quæ diximus omnia, huc spectant, Cæsar, ut cogites, quem te principem in terris Deus esse uoluit, quid à te requirat, quid munera iniunxit, hoc uidelicet, ut nomen ipsius ueræ doctrinæ confessione celebres, ac populum tibi commissum rectè præcipias eruditiri, & ita existimes, nullum te posse præbere Deo magis gratum sacrificiū: Qui te uicissim haud dubie re spicit, uires etiam & animum & prudentiam supereditabit, ut que tibi dedit amplissima regna, feliciter ad ipsius nominis gloriam gubernes.

Quæ nunc sequitur, altera pars orationis meæ, coheret omnino cum præcedenti argumento, neq; prætermitti potest, quam ut patienter admittas, plurimum obtestor. Nam etsi paulo prolixior esse uide detur, dabo tamen operam, ut extra propositum nihil adferam. Præter multis & florentissimas ditiones, ingenio te quoq; Deus ornauit excellenti, Cæsar, sic ut inter heroas illos & priscos imperatores meritò debeas numerari. Quò magis mirum uideri potest, cur à tam multis nunc annis, nihil amplius in hac causa perfeceris, præsertim, cum fieri non possit, quin longo rerum usu multa didiceris. Voluntatem quidem & consilia nostra Deus in sua manu possit

## AD CAROLVM V. CAES.

nisi possidet: Verum, si iudicium spectemus rationis, & ciuiliter loquamur, apparet, idcirco te remissus agere, quod Pontifici Romano sis obligatus iure reiurando, & quod nihil ferè commouere possis aut immutare, quin illum offendas. Quod si ita est, optandum sit in primis, ut ex ea te seruitute rursus in libertatem assereres. Callidum fuisse oportet, ac mirabiliter prouidum Sathanam, qui rem eò deduxit. Inuestigandum est igitur, quæ sit huius iuris iurandæ ratio, quomodo natū sit & usurpatum, ex eo postea liquidum fiet, quam uim habeat, & quomodo constringat. Sed interea dum hoc agitur, deponenda est ea, quæ apud nos hactenus regnauit, persuasio, sanctissimum scilicet illum esse patrem, & quid non? Hæc, inquam, præiudicia, & priuilegia, & fastuosi tituli sunt aliquousq; relegandi, & inspicciendum, non qui sit hodierno die, sed quis olim fuerit, & quis esse debeat. Optandum esset ante omnina, quæstionem hanc non extare, nec in controuer siam uenire. Sed idem prorsus accidit nobis, quod Plato sibi dicit eueniire, multisq; alijs, quum est demonstrandum, esse deos, qui curam habent rerum humanarum, qui præmia digna reddunt pīs, & scelerosos etiam à morte puniunt. Nisi complures, inquit, docerēt, nullos esse deos, facile disputationem hanc uitaremus. Nunc uero, quando non uerentur opinionem hanc profiteri palam, & ipsa quoq; uita moribusq; testari, non possum, quæ mea sit sen

P tentia,

## ORATIO SLEIDANI

tentia, dissimulare: Alioqui, si de Deo piè sentirent omnes, ut decet, non ueniret in mentem ulli, discereptare de re, quam nemo neget. Similis planè ratio est nostrorum temporum. Si non conspurcassent omnia Pontifices, nisi crudeliter & auarè egissent, & si mandatum ipsis à Deo munus diligenter obiuisserent, nihil opus esset hodie litigare super hoc argumento, & ne cogitassent quidem homines aliquid huiusce rei. Sed quoniam ipsi materiam, ac ueluti segetem perpetuae litis inuixerunt, eamq; uehementer hodie persequuntur, opus est, ut lumen aliquod inferatur, quo propius uideri causa possit & disjudicari.

Et principio quidem certum est, eum fuisse dun taxat Ecclesiæ Romanae Episcopum: Cur enim a Iiūs esse debeat, aut maior, quam illi, qui per ceteras ditiones, Asiam, Syriam, & Aegyptū, Ecclesijs pre fuerunt? Adeò uero nullam tunc temporis habuit potestatem, ut etiam in latebras abdere se non raro cogeretur, per sequentibus Evangelij professionem Imperatoribus, ad trecentos circiter annos, quo tempore Constantinus Cæsar, Christi religionem amplexus fuit. Et hic sanè, dubium non est, quin magna charitate, beneuolentiaq; sit prosecutus ministros & doctores uerbī: Sed tantam eius liberas ralitatem fuisse, uel prodigalitatem potius, totam ut illis, quæ spectat occidentem solem, Imperij Romanī partem, unā cum sceptro, & Imperatorū sede uetus ta

## AD CAROLVM V. CAES.

uetusta, urbe Roma, dederit; hoc sanè fidem omnem excedit. Et quanquam tu, Cæsar, Ecclesiarum dignitatem integrum esse cupis, non temere tamen ita profundas Imperij possessiones, & ut id facias, inuitis ordinibus, irrita sit futura donatio, uel ut auctoritate priuata facias, liberum sit nihilominus futurum successori tuo cuiuis, reuocare donationem, & plagam illam, in Imperij corpus inflictam, resarcire atq[ue] curare. Constantinum autem fuisse tam immense prodigum & immoderatè, nulla testatur historia, solum hoc extat, ædificasse templa, multasq[ue] domos, pecuniam quoq[ue] contulisse non mediocrem in pauperum usus, & prouentus annuos ministris Ecclesiarum constituisse. Verum homines, & auari & ambitiosi, & rerum successibus elati, finixerunt ipsi quod de donatione iactant, & suis constitutionibus inseruerunt, non sine crimine falsi, dum illud, quod ab ipsis magna temeritate constatum est, obtrudunt orbi, uelut sacrosanctum & authenticum. Sed utcunq[ue] sit, à Constantini temporibus extulerunt animos, necq[ue] pares uoluerunt esse reliquis Episcopis: Et quia propensam erga se uiz debant Cæsarum uoluntatem, putabant occasio nem hanc minimè prætermittendam, & auferendum ab Imperatoribus, quantum fieri posset, interea dum illi nouam religionem & admirarentur & uehementer amarent. Scopus, quo sua tela dirigebant, hic erat, ut Cæsarum uoluntate liceret ipsis

P ij autho

## ORATIO SLEIDANI

authoritatem usurpare in reliquarum prouinciarū Episcopos. Durauit hæc ambitio per annos ferè tre centos, quo primum tempore, quod uolebant, impetrarunt ab Imperatore Phoca. Sed multis annis antea, quām hoc impetrassent, amiserant Romani, quicquid uersus occidentem solem possederant, & occuparant illa nationes Barbarę: Sed & Italia diuturnis admodū grauibusq; bellis affligebatur. Sic adeò Cæsares omne studium ad Orientales oras conuerterunt, quibus in locis cum hærerent, natum est tandem inter eos & Romanum Episcopum, nō leue dissidium, uarijs de causis: Quod cum esset per tinacius, & indies magis atq; magis augesceret, Romani Pontifices inibant rationes cum Galliæ Regibus, non admodum longinquis, quorum auxilijs non semel restituti fuerant & seruati, ut ad Cæsareum honorem atq; sceptrum adhcerēt animum: Idq; fecerunt non alio consilio, quām ut ægrè facerent prisco Romano Cæsari, cuius à maioribus tam ornati fuerant, & in illud fastigium euecti: Deinde, ut perpetuum haberent defensorem aduersus ingruentem uim hostium: Hac tandem ratione, Carolus, Gallorum Rex, factus est Imperator Occidentis.

Hactenus autem nullum extitisse iusurandum, dubitari non potest. Cum enim uigerent per Italiam, & in primis Romæ, persecutions, cum sollicitaret illi ambitiose, ut haberentur supra cōmunem aliorum

AD CAROLVM V. CAES.

alorum Episcoporum sortem: cum deinde Carolus Magnus ipsos beneficijs deuinciret, facile cogitari potest, quām nihil eis detulerint Cæsares præcipui honoris: Ab Orientis autem illo prisco Cæsare, non erat, quod ullum, non honorem modo, sed ne signum quidem amoris expectarent. Certum est igitur, non solum non extitisse tunc ullum iuriurandum, sed doceri quoque potest historiarum testimonijs, ipsorum dignitatem omnem dependisse tum ex authoritate Cæsarum, ita quidem, ut ad confirmationem Pontificatus ipsorum, necessarius esset Cæsarum assensus, eademque ratio fuit obseruata Caroli Magni temporibus. Creuit tamen ad hæc ferè tempora fastus illorum & dominatus, multum eos amplificante Carolo: Post cuius mortem, aiunt Ludouicum Cæsarem eius nominis primum, renunciasse iuri confirmationis, atque ita in suis, quas finixerunt ipsi, constitutionibus affirmant: adeoque dicunt, Ludouico secundo Cæsare, non expectasse Pontificem, donec assentiretur ille. Multis deinde post annis, Ottoni primo redditum fuisse ius confirmationis, in suis monumentis ipsimet scriptum reliquerunt.

Sed postquam Imperij dignitas in Germaniam migrauit, & Principes Electores ibi constituti fuerunt, intercidit paulatim ius illud omne, & Pontifices Romanii mirificè locupletati, cœperunt pedentim attollere cristas, & postremo, non contenti

P iii hac

ORATIO SLEIDANI

hac libertate, rationes inibant subiugandi Cæsaris,  
neque ueriti sunt tandem postulare iusurandum ab  
eo, quale solent clientes prestatre suis patronis. Hoc  
inde profectum est, quoniam inauguratione facta,  
cōsecabant Cæsares: Qui magnis animis initio re  
sistebant huic illorum importunitati & audaciae.  
Nam & hodie nemo est, qui non obstupesceret ad  
rem adeò nouam, cogiscilicet fidem & obsequium  
illi praestare, qui tuus antea fuisse cliens, cuius de  
pendisset omnis, non ita pridem, à tua uoluntate &  
assensu authoritas.

Quid enim istud est rei nouæ, mi Romane Pon  
tifex, aut quid sibi uulnus tam improbus conatus?  
Quod si uestra opera contulit aliquid, ut ius consti  
tuendi Cæsaris, ad nostram gentem perueniret:  
certè & nostri uicissim maiores, his tantis possessio  
nibus uos locupletarunt, imò nos atq; maiores no  
strí maxima sæpe pericula suscepimus, ut uestra uo  
bis dignitas constaret. Si tam essetis tenues, quām  
aliquando fuistis, nullū esset inter nos ortum haud  
dubie dissidium. An uero, quia nostri proauí uos  
amplificarunt ad hunc modum, idcirco nos plecti  
mur, & uestro ordini sumus inuicti? Num similem  
gratiam nobis reponitis, qualem retulisti olim pri  
scis Imperatoribus, qui uos Ecclesiarum principes  
fecerunt, quibus tamen adeò nullum exhibuisti  
gratitudinis argumentum, ut etiam acerbissime sis  
tis eos persecuti? Ciuilis Imperij potestas nihil quic  
quam

AD C A R O L V M V . C A E S .

quam ad uos pertinet. Si uos nihilominus pergitis, & hanc quoque uobis administrationem sumitis, quid aliud iudicabut homines, quam affectare uos utrumque simul, ut & sitis Imperatores atque Pontifices? Repugnat ratio, reclamant res ante gestae: longe aliud habent maiorum uestrorum decreta, quae diserte cauent, ne uos rebus ullis alijs, praeter quam Ecclesiasticis, immisceatis. Cur autem iure iurando nos uultis astringere? Quid si obtemperemus, & faciamus, quod nullo tamen iure petitis, num idcirco, ueluti seruitute quadam depresso, restinere nos cogitatis? Ut maximè fidem uobis & obsequia polliceamur, nihil tamen, quod uel minus honestum, uel illicitum, uel etiam nobis indignum sit, committemus. Hoc igitur certò statuite, nullā nos subituros seruitutem, sed eum esse defensuros locum, qui nobis ueluti per manus est traditus à majoribus nostris, neque patiemur quicquam libertatis nostrae nobis eripi. Cum ad eum modum crescerent utrinqe contentiones, Pontifex non modo nō urgebat institutum suum, sed quicquid omnino ad contumeliam & iniuriā Cæsarum spectabat, in eo nihil prætermittebat. Nam & Henricus quartus, & quintus, & Fridericus primus, & eius è filio nepos, Fridericus secundus, & huius pater, Philippus, & Albertus, & Henricus septimus, & Ludouicus Bavarus, Cæsares omnes, non obscurè sunt experti, quam sit effrenis, & indomita, & ingrata bestia,

ORATIO SLEIDANI

sua, mendicus alius locupletatus: Experti sunt, quām uirulentam uiperam maiores ipsorum edūcassent, & tanquam in sinu fouissent, dum Episcopo Rom. paulatim largirentur omnia, suumque studiū omne conferrent ad amplificandum illum, & ornandum.

Germanos uero Cæsares perpetuo repugnasse, neque uoluisse illud iurisurandi uinculū subire, tanquam rem nouam, absurdam & inauditam, uel ex eo satis constat, quod Henricus septimus ante annos ducentos, ac res habuit ob hanc causam aduersus Pontificem, contentiones. Etenim si superiorum temporum Imperatores, illum, ut dominum, agnouissent, & fidem ei præstitissent: dubitarī non debet, quin & isti posteriores libenter fuissent imitati majorū morem atque uestigia, præsertim, cum in constituendo iure & priuilegio, Romanum Cæsarem eligendi, Pontifex aliquam operam Germanique præbuisset antea. Quò uehementius autem resistebant Cæsares, eo duriores leges ferebant Pontifices, ac eo tandem uesaniæ deuenerunt, ut ambitio ne, superbia & auaritia uelut excoecati, non sint ueritati, sacram quoque scripturam suis immoderatis simis affectibus accommodare. Tunc illud celebre decretum exiit, & literarum monumentis continetur, quod est de duobus magnis lumínibus huic orbis, Luna & Sole, quando Soli se comparat Pontifex, Lunæ uero Cæsarem. Tunc inuentum est & illud

A D C A R O L V M V . C A E S .

illud in sacris literis, uelut reconditus quidam, & su-  
periori aetati non cognitus thesaurus, largitum esse  
Deum Pontifici, tam prophanam, quam Ecclesia-  
sticam potestatem, ubi loquitur ad Petrum de duo-  
bus gladiis. Tunc & illud sanctum fuit atque memo-  
riæ proditum, Pontificem esse non Imperij tantum,  
sed & totius orbis dominum, & Reges omnes debe-  
re ipsum, ueluti supremum in terris magistratum,  
agnoscere. Testimonium adferebatur e Psalmis,  
ubi Propheta regius ait, Domini esse totum terra-  
rum orbem, quo quidem ex loco dicunt talem fieri  
syllogismum: Si Domini est terra, ergo etiam est  
eius, qui uicem gerit Domini. Ita creuit ipsorum  
audacia, mirandum in modum. Liquet igitur ex  
his, quae recitata sunt, iusserendum illud solenne,  
quod nunc in consuetudinem necessariam, ac pro-  
pe sacrosanctam abiit, stabilitum esse primum, ab  
Henrici Cæsaris temporibus, qui magna contentio-  
ne repugnabat, neque frenum istud patiuolu it sibi  
inuici.

Num uero maius aut illustrius requirimus tes-  
timonium, quam illud, quod post Henrici Cæsa-  
ris mortem accidit? Erat infestissimus Ludouico  
Bauaro, Cæsari, laudato principi, qui secutus est  
Henricum septimum, Benedictus duodecimus Pô-  
tifex, eumque omnis generis execrationibus persequen-  
tatur, ita quidem, ut Ludouicus, Italia relicta, cum  
insidias & uenenum metueret, reuersus in Germania-

Q niam

## ORATIO SLEIDANI

niam, conuentus ageret principum omnium, & do-  
 citorum hominum, Francoforti: In quibus recita-  
 bat intolerabiles contumelias, iniuriasq; sibi factas  
 à Pontifice. Repetens deinde superiorum tempo-  
 rum historias, & suorum maiorum, Romanorum  
 Cæsarum, morem, multa decernebat ex Imperij di-  
 gnitate, in hanc sententiam: Ut soli Electores Prin-  
 cipes Imperij, potestatem & ius habeant creandi  
 Cæsaris: Ut dissidentibus Electoribus, ille sit Cæ-  
 sar, quem maior pars crearit: Ut citra Pontificis  
 Romani confirmationem, Cæsar administret om-  
 nia: Ut creatiss Cæsar, inaugurationem accipiat à  
 Pontifice Romano: & si quidem is recuset, à quo-  
 cumq; alio Episcopo. Nam inaugurationem illam,  
 & quam ipsi uocant, Inunctionem, esse quandam  
 aduentitiam solennitatem, excogitatam à Pontifi-  
 cibus, ueluti symbolum quoddam perpetuae con-  
 cordiae, futurę inter Imperium & Ecclesiam: Item,  
 illud, quod Pontifex urget ius iurandum, eò solum  
 reuerà spectare, ut religionis & fidei nostræ propu-  
 gnationem suscipiant Cæsares, non etiam ut Pon-  
 tifici pareant, ac ueluti summum agnoscant magis-  
 tratum. Postremo, falsum esse demōstrabat, quod  
 Pontifex affirmat, uacantis Imperij ius ad se deuol-  
 ui. Nam pertinere illud ad Comitem Rheni Pala-  
 tinum, qui ius habeat Imperium administrandi, do-  
 nec creatus sit nouus Cæsar. Hæc ille promulgauit  
 & decreuit in his comitijs, assentiente modis omni-  
 bus

AD CAROLVM V. CAES.

bus principum & ordinum omnium cœtu. Digna  
sanæ res, quæ per omnes Imperij Germanici prouincias & ciuitates insculpta sit publicis locis, quæ in omnibus Imperij conuentibus palam recitetur. Atq[ue] utinam eius decreti perpetuam habuissent memoriam, qui Ludouicum secuti sunt, Cæsares, Carolus quartus, & Venceslaus, & Robertus, & Sigismundus, alijq[ue] post eos. Quod autem hi colla submisserunt indignissimo iugo, dubium non est, quin ilud fecerint, partim opinione Religionis, partim circumuenti Pontificum calliditate. Nam electus aliquis, & designatus Cæsar a principibus Germania, si fidem illam & obsequium denegabat, non poterat Pontifice consequi solennem inaugurationem. Si iam in eo proposito constanter h[ab]erebat, non erat inusitatum Pontifici, permouere principes, ut alium crearet, quod facile impetrabat, quando tres illi Electores, qui propter ordinis & sacerdotij communionem, alioquis sunt Romanæ sedi etissime deuincti, studebant ei per omnia gratificari. Iam ille, qui sic eligebatur Cæsar, ualde se putabat beatum, si quocunq[ue] modo Pontificem haberet non auersum nec alienum, ut eò se commodius tueretur aduersus illum, in cuius odium ipse, præter omnem expectationem, ad eos honores peruenisset. Huiusmodi technis, & his artibus perpetuò sunt usi, quoad perdoniti essent Cæsares, neq[ue] gravitate iuriandum illud susciperent.

Q ij Hinc

## ORATIO SLEIDANI

Hinc adeò fit, quod scriptum reliquerunt in suis  
monumentis, habere quidem Germaniae principes  
authoritatem designandi Cæsaris: uerum ad Ro-  
manæ sedis antistites pertinere confirmationem ei-  
us: neq; licere cuiquam, usurpare titulum aut ius  
Imperatorium, qui non sit ab ipsis approbatus.  
Neq; uero solum intra eiusmodi uoces constiterūt,  
sed ipsa quoq; re uoluntatem suam non semel decla-  
rarunt: Cuius rei testimonitū præbere possunt mul-  
ti Cæsares, ut antea demonstratum est: ne quid dis-  
cam interim, quām acerbe peralia regna, maximē  
uero per Siciliam, grassati sint. Qui iam hīc recitare  
uelit, quām prodigiosis, quām foedis, & non huma-  
nis assentationibus referti sint Iurisconsultorum  
Pontificiorum libri, quibus in cœlum usq; efferunt  
Pontifices, magnum ille sanè uolumen conscrips-  
erit. Planè Deum faciunt illum, & omnino talem,  
qualis depingitur in sacrís literis. Adulantur ei su-  
pra omnem modum, neq; nihil non tribuunt, im-  
pudenter tamen omnes, ac infelici planè consilio.  
Nam eiusmodi præstigijs mentem illi omnem & iu-  
dicium excantarunt, ita quidem, ut miser, uelut ex-  
tra se positus, & humanæ conditionis oblitus, pu-  
tet diuinum & Apostolicum esse, quicquid sentit,  
quicquid loquitur, quicquid etiam corpore suo cō-  
tingit. Opinionem istam habet, quasi exemplo Sa-  
lomonis, prudentiam elegerit inter cætera Dei do-  
na: Ideoq; se non minus, quām Salomonem, diui-  
tij;

cū amplissimis dignum esse. Quæ uero causa impulit eos, ut iuslurandum istud tam uehementer affectarent? Dicam equidem. Posteaquam perficta fronte & ambitione perpetua, dominatum in reliquos Episcopos impetrassent, eaq; res minime probabatur alijs Ecclesijs: Posteaquam Cæsarum se protestati & confirmationi subduxissent: postquam miris artibus ac technis excreuissent in immensum, adeoq; prouinciarum et ciuitatum possessionem natu-  
cti fuissent, actandem, ubi multis decretis, uelut in se-  
ptis, undequaq; se muniuissent, prudēter apud se co-  
gitabant, non satis esse, magnas aliquem sibi parasse  
se commoditates, nisi tueretur etiam easdem & co-  
seruaret. Hoc ipsum uidebant fieri posse omnium  
optime, si Cæsares haberent sibi deuinctos. Itaq; ce-  
perunt eos urgere, ut sancte pollicerentur, se nullis  
unquam temporibus quicquam facturos, quod ul-  
lo modo sit aduersus Ecclesiæ Romanae & Pontificum  
dignitatem, aut commoditatem: Sed im-  
pensuros omnia, quantum fieri posset, ad ampli-  
candum eos & ornandum. Hunc sibi scopum ha-  
buerunt iam inde ab initio prefixum, nec prius con-  
quieuerunt, quam eò, quò uolebant, peruenissent,  
ut corām uidemus. Ex his igitur constat, eos, uiu-  
dam & malis artibus circumuenisse Cæsares, deinde,  
iuslurandum illud, post Henrici septimi, & Ludouici quarti tempora, firmatum esse primū, &  
in eas redactum formulas, ut nunc conspicimus:

Q. iij Idq;

ORATIO SLEIDANI

Idque notum est ex ipsorum met libris, itaque negari non potest. Et potissimum argumentum defensio*nis* ipsorum est, quod consuetudinem adferunt, & fus præscriptionis.

Hoc ut largiamur eis, tamen ex eo non sequitur, oportere Cæsarem, in rebus omnibus parere Pontifici, & non solum non oppugnare quæ statuit ille, uerum etiam adiuuare modis omnibus, & amplificare. Nimis enim magna sit ea seruitus, & omnino talis, quæ careat exemplo. Clens aliquis, aut liberius debet patrono fidem, operas, & obsequium, sed in rebus honestis, & quæ non sint contra bonos mores. Iam, si Pontifex in rebus ciuilibus aliquid praeter ius & æquum molatur, num Cæsar iure iurando sic cohercetur, ut illud permittat & dissimulet. Si Pontifex impia*m* doctrinam & Idolorum cultus in Ecclesiis non inferat modo, sed & propugnet, si confirmet errores & abusus: num in eo conciuebit Cæsar, & totum hoclaudabit? Si Pontifex de his rebus omnibus accusatus, legitimo iudicio se nolit sistere, num Cæsar, metu iurisiurandi, uidens, nihil videbit, audiens, nihil audiet: num accusato de grauissimis criminibus, permittet, ut in sua ipse causa iudex & cognitor sedeat, & sua damnet ipse flagitia? Et, si Cæsar, quod est officij sui, faciat, si caus*e* cognitionem ad se transferat, & pro tribunali sedeat, num absterrebitur & à suo munere discedet, quando Pontifex iuriandum obi*c*iet, eumque cōmonefas?

AD CAROLVM V. CAES.

monefaciet, ne quid omnino moliatur, nisi uelit in  
periurij notam & famæ discriminē incurrere? Quemad-  
modum autem Pontifices ab aliquot iam sacerdotiis,  
non modo contra Cæsares, aliosq[ue] reges, in cau-  
sis prophanijs & ciuilibus, iniquè & proterue multa  
fecerint, uerum etiam infinitos errores et impuram  
doctrinam, & falsos Idolorum cultus in nostrum  
orbem inuixerint; atq[ue] de his tantis criminibus pa-  
lam sint accusati, hoc adeò manifestum est, ut etiam  
ipsimē suæ causæ diffidentes, modis omnibus la-  
borent, ne quis alijs, præter ipsos, de illa cognoscat.  
Hoc uero, quia cōtra legum est authoritatem, quia  
rationi pariter & æQUITATI repugnat, concedi non  
potest: Ita uero sentiunt omnes iudicio prædicti, o-  
portere sentinam istam, publico nostri orbis Con-  
cilio, repurgari. Abhorrent autem ab eiusmodi  
Cōcilij Pontifices, quia nequitiam suam detegi no-  
lunt, & à Basiliensi postremo, non admiserunt a-  
liud, omnino contra morem & decreta superiorum  
temporum. Nam eò fastus & arrogantiæ deuenie-  
rant, ut nihil eos puderet affirmare, Concilij non  
esse tantam, quantam Romani Pontificis, hoc est,  
unius miseri hominis, authoritatem, necquim ul-  
lam habere Conciliorum decreta, nisi Pontificis ac-  
cedat iussus atq[ue] uoluntas. Istud est profecto sapere  
& imperare. Plurimis antea constitutionibus, tan-  
quam uallo quodam & aggere, diligenter se com-  
mu niuerant, solum deerat istud præsidium, lon-  
gissime

## ORATIO SLEIDANI

gissimè petitum, & uix tandem castris ipsorum adiunctum. Verumtamen, & in illo Constantiensi & Basiliensi Concilio iniecta fuit securis huic tam effreni & immoderatae impudentiae, & decreto sanctum est, authoritatem Conciliorum, multò superiorem esse. Quae quidem res, ita ipsis placuit, ut ab eo tempore, nihil aquæ reformident, atq; publica iudicia: Quanquam tunc temporis nihil extabat emendandum, præter abusus, & quædam ad politiam Ecclesiarum gubernationem pertinentia: De doctrinæ genere non erat lis ulla. Si uero tum adeò refugerunt publicam cognitionem, quomodo sustineant illa hodierno die? Quam etiam ferre non possint nationis nostræ Comitium, non obscurè significauit Cardinalis Contarenus: Qui cum esset Ratisbonæ, Pontificis Legatus, & audiisset, unâ tecum, Cæsar, ordines Imperij decreuisse per Germaniam eiusmodi Concilium, nisi publicum illud intra menses aliquot inchoaretur, opposuit se grauius, neque queritus est causam hanc adferre, Pontificis dignitatem labefactari, si quidem hoc fieret. Opacientes nimium animos, & remissos, qui citra fastidii haecaudire possunt atq; tolerare. Sed quo cuncti tandem modo nos illi tractent, & quibus cunctis sint usuri præstigijs: hoc tamen interim indubitatum est, etiam si nullus esset Deus, scelerum uindex, ipsorum tamen ferociam & improbitatem non fore diuturnam. Persarum Imperium, ait Plato, corrussc

A D C A R O L V M V . C A E S .

isse totum, eò, quòd nimis magna seruitute preme-  
retur populus. Ita quoq; futurum est dubioprocul,  
ut & istorum impotentissimus dominatus intereat,  
quia supra modum est uiolentus, & quoniam flecti  
non potest, ui utrumpatur, oportet.

Ad exitum properant, & in suam ipsi ruinam  
præcipites feruntur, eiusq; rei manifestiora quoti-  
die præbent argumenta. Quin nunc rerum potitur,  
Paulus Tertius, in ijs literis, quas nuper, ad quartum  
Calendas Martias dedit ad quosdam in Comis-  
tio Spiræ, Germaniæ principes, originem commu-  
nium malorum refert ad bella dissidiaq; regum, &  
scribit ante hæc bella, nec in Germania extitisse hæ-  
reses, nec in Pannonias, Italiamq; uenisse Turcas:  
Vnicum igitur & summum esse remedium dicit, ut  
potentissimorum regum animi reconcilientur. Ita  
futurum, ut & Turcarum impetus reñciatur, & hæ-  
reses profligentur, & orbis pristina sua redeat tran-  
quillitas. Quodnam istud est quæso, paradoxum?  
aut, cur sic inuertit rerum ordinem? Nostris qui-  
dem factionibus & odij; creuit & amplificatum est  
Turcarum Imperium; Hac enim ratione & Græci-  
am, & Epirum, & Mysiam utrancq; tenent: Hunga-  
riam quoq; interea, dum in nostra ipsi uiscera græ-  
samur, occuparunt. Si iam penetrant uelin Austriz-  
am & loca uicina, uel in Italiam, nihil præter opinis-  
onem faciunt, qui & antea sibi uitiam patefecerunt,  
& nos ita uident impeditos ciuilibus malis, ut uix

R ægre

ORATIO SLEIDANI

ægre possimus obuiam ipsis properare. Vera sunt ista: Sed non est hic consistendum, uelut ad fontem & originem malorum, sicut ille facit, omnino ueteratoe & insidiose. Turcum furorem & postremi temporis maximas acerbitates prænunciarunt sacræ litteræ. Harum uero calamitatum efficiens causa non est bellum aliquod nostrum intestinum, sed hoc ipsum bellum numerari debet inter effectus, aliasque clades, quibus a Deo uerberamur. Quæ sit autem huius tantæ iræ, & offensionis diuinæ causa, inuestigandum est.

Cum igitur omnia diligenter perquisiuemus, certò comperiemus, Deum nulla re tantopere offendimus, & idololatria, & uerbi sui contemptu. Nimirum multa sunt scripturæ testimonia, quibus hoc probatur, & solus Israëliticus populus, in Assyrios & Babylonios abductus, illustre nobis documentum præbuit. Hic est ille fons, quem requiri mus, hoc caput, & seges omnium incommodorum; hic immorrandum est, nec longius progrediendum. Iam uero Turcica rabies, quo primum tempore coepit in nostris finibus grassari. Certe, quod superbiores facti sunt Romani Pontifices, quoque maiorem fecerunt iniuriam uerbo Dei, quod suæ tyrannidis confirmandæ causa totum contaminarunt, eò fuerunt fœliciores Turcarum progressus: Et quod maior fuit per nostras prouincias, Romani Pontificis authoritas, eò uicinior nobis factus est Turca: Qui trans-

AD CAROLVM V. CAES.

transmissio tandem Hellesponto, penetrauit in Europam, eiusq; loci firmissimo capto propugnaculo, totum se nobis iam insinuauit. Illo igitur tempore saeure cœpit in nos, & hodierno die, quoniam præsens ac insigne beneficium Dei non agnoscimus, qui in his tantis miserijs, Euangelij sui doctrinam nobis reddidit, omnium crudelissime belligeratur, & ita quidem fœliciter, ut, quoties in nos exercitum educit, de uictoria prope nihil dubitet. Hanc autem rerum uastitatem profligari posse credit ille, si bellum nullum esset apud nos ciuile: Sed quam rem, ingrauescentis morbi medicinam esse putat, haec ipsa res, morbus est, atq; præsentí opus habet remedio. Hic obmutescit & dissimulat, neq; uulnus detegit, & reconciliatis príncipum animis, omnia sibi prospera pollicetur, & illud in primis, quod quas ipse uocat hæreses, eas arbitratur tum facile posse radicitus euelli. Admodum fœcunda sunt haec illius uerba, neq; facile totum exprimi potest, quod in illis tegitur inuolutum. Nam existimatio nem sibi parathoc ipso, quasi publicam orbis quietem cupiat: quasi Concilium optet: principes etiam, quibus illa scripsit, oblique commonefacit, ut in ea, quam hactenus retinuerunt erga ipsum uoluntate & obseruantia, sint constantes, neq; doctrinam admittant illam, quam inter alias orbis calamitates recenset, ac facile sperat, adeoq; promittit opprimi posse totam, coniunctis regum uiribus &

R ij armis:

## ORATIO SLEIDANI

armis: Deinde, dum sic ad perseuerantiam eos hotatur, alit factiones, & ad maiorem acerbitatem inflamat animos, & tanquam dígito indicat, in ijs Comitijs, & quibuscunq; alijs, tractandum esse de causis tantum ciuilibus, & religionis negocium debere ad Concilium publicum reiici: Quod facile possit cogi sedato bello, cuius pacificationem, quia difficillimam & supra modum arduam esse uidet, ideo uehementius urget, ut quocunq; modo res cadat, pro Repub. fecisse aliquid uideatur. Quid, an ullum hic apparet poenitentis animi uestigium: an ulla spes emendationis affulget? Nonne, uel hæc sola eius epistola testatur, ipsum ideo potissimum & in primis cupere pacificari monarchas, uthorum adiutus præsidio, funditus delere possit, quod sibi omnium rerum minime ferendum esse uidet, doctrinæ genus? Ante bellum ait in Germania non extitisse hæreses: Imò uero, quoniam ipse per omnes Europæ prouincias disseminauit foedas & ignominiosas hæreses, idcirco non bellis tantum, sed alijs quoq; multis acerbitatibus diuexamur. Sed & ea doctrina, quam hæresim uocat, ortum habuit ante bellum istud, de quo loquitur, & quam sperat futuram rerum uicissitudinem, ea nunc est adducta' pridem, & rebus humanis illata, Dei beneficio, læta quidem p̄ijs & iucunda: impijs autem ingrata & luctuosa: Quod ipsum, quia uel non intelligit, uel inuidiose dissimulat, & pristinæ suæ dignitatis potentiae

AD CAROLVM V. CAES.

tentia&c recuperationem sibi promittit, ideo maxime deploranda est ipsius conditio, ut quem Deus proposuit nobis, uelut insigne qdam exemplar, in quo magnitudinem irae ipsius & uehementiam contemplemur.

Cum igitur ad hunc modum res ipsorum habent, nullam ut ferre queant legitimam cognitio- nem, & simul spem omnem precidat emendationis cogitandum est tibi, Cæsar, deinceps, quid Deus requirat, nec habenda est ratio ulla tyranni, quite maioresque tuos iure iurando sibi nō alia de causa desuinxit, q̄ ut tanto licentius et immoderatus omnia turbaret, misceret ac conspurcaret, non fecus, ac si totus hic corbis terræ, & quicquid eo continetur, ob ipsius tantum sit factus cōmoditates, & quasi plus in ipso uno prudentiae sit, & ingenij & probitatis, & sanctimoniae, q̄ in reliquis omnibus mortalibus: Hoc enim inter cætera de se iactat in suis illis egressis decretorum monumentis, affirmans, errare se non posse, & potestatē habere se iudicandi omneis: à nemine autem posse iudicari. Quod ipsum admodum uenustè probat testimonio Pauli, cū is ait: Ho minem spiritualem dījudicare omnia, sed à nemine ipsum iudicari. Cum enim hanc sententiam scriberet Paulus cogitabat scilicet de Pontifice Romano, & præuidebat futurum, ut is aliquando monstruosam potestatem haberet, utq̄ simul esset Pontifex atq̄ Cæsar Romanus.

R ij Recita-

## ORATIO SLEIDANI

Recitatum est hactenus, quemadmodum illi  
se prophanis & ciuilibus negocij immiscuerunt,  
quomodo uetus Imperij patrimonium, & ipsam a/  
deo priscam Cæsarum sedem, urbem Romam, o/  
cuparunt, quomodo, præter inanem titulum & no/  
men, nihil Imperio reliquerunt, & quam indigne  
sæpenumero tractarunt Cæsares, aliosq; Reges.  
Quam autem sint sui perpetuo similes, atq; constan/  
tes in hac sua inexhausta cupiditate, potes facile a/  
stimate, Cæsar, ex ijs, quæ nostris adeò temporibus,  
& in hac hominum memoria, contigerunt. Ne/  
mo nescit, quam insignis fuerit bellator Iulius Pon/  
tifex. Maxima fuit regibus ipsis cum eo simultas,  
imò tuus etiam, Cæsar, auus Maximilianus, eti  
laudatissimus princeps, uitare non potuit eius ini/  
micitias, in causa longè iustissima, quando Concil/  
ium ille publicum, utrem in primis orbi Christia/  
no necessariam, decernebat: Iulius autem ab eo ma/  
ximopere abhorrebat: Qui licet totus erat obrutus  
opinionibus falsis & Epicureis, eti uiujs erat im/  
mersus altissime, quanquam toto uitæ genere testa/  
batur, non esse, ab ipso, alium expectandum Anti/  
christum, cogere tamen uolebat homines, ut in ip/  
sum intuerentur, & different omnem actionem,  
quoad sua ipse flagitia publicè damnaret. Sed quū  
nimium esset latus emēdator & censor ille, tuusq;  
Cæsar, auus, & alij cum eo principes, cuperent re/  
bus nimium affectis mederi, continuo fulmen ille  
suum

## AD CAROLVM V. CAES.

suum in ipsis eiaculabatur, nulla alia de causa, q̄d rem tantam, cuius contrectatio ad ipsum solum pertineat, ausi fuissent tentare. Sed interim, ut fucum aliquem faceret, Comitium euocauit Romanum, in eoq; nihil agebatur aliud, quam qđ supra nubes eum efferebant adulatores, ut patriæ patrem, cui nihil esset antiquius, quam orbis Christiani salus & prosperitas. Quantum ad reliqua pertinet, talis omnino tunc ibi facta fuit rerum necessariorum emendatio, qualis hodie futura sit, si causæ cognitio deferatur ipsi Pontifici, & Cardinaliū senatui. Hunc excepit Leo Pontifex, atq; hic, qđ acerbe tibi resisterit, ut qui totus in hoc fuerit, ne Caesarus honor, à morte Maximiliani tibi deferretur, non ignoras, & postquam hac expectatione decidiit, tuq; Germaniæ Principum uocenominatus es Caesar, non te fugit, quam odiose in tuam perniciem coniurarit, quale fœdus inierit, quod cōuidelis cetspectabat, ut & Siciliam amitteres, ac non solum regno Neapolitano, sed & Italia prorsus exuereris. Et quanquam ab eo postea fœdere discessit, detecta coniuratione, tamen, ne quid alienum à Pontificio more faceret, uulnus inflixit orbī Christiano, longè grauissimum, quod ne hodie quidem curatum est. Nam eius belli, quod inter te, Galliæq; regem est, authorille fuit, quantum in ipso erat: Quo in bello, tametsi fortunatus extitisti, fuit tamen illud exercitatum ab eo, singulari quadam industria. Praeuis debat

ORATIO SLEIDANI

debat enim futurum, ut semel inchoatum dissidiū inter duos potentissimos Reges, diuturnum esset, neq; breui aliquo tempore finiretur. Putabat hoc suis rationibus multò magis conuenire, quām indicere publicum orbis Concilium: quod tunc flagitabāt omnes, ac in primis necessarium esse iudicabant, ob hanc ipsam, quae nunc quoq; controvērtitur, & tunc adhuc recens erat, religionis causam. Et sane prudenter hanc rationem inierat, nec aberrauit ab eo, quem spectauerat, scopo.

Non nescis etiam Cæsar, quemadmodum, à morte Leonis, in eodem bello se gesserit Clemens Pontifex erga te: quomodo nutauerit, quomodo duabus aliquando sellis federit, quām insidiose tecum egerit, quod fœdus percusserit, quomodo bellum tibi denunciarit, epistola multum atroci & pena exprobationum, quomodo libellis editis, non men tuum atq; famam lacerarit: Non ignoras, q; liberaliter ipsum, captiuum, & belli iure tuum factum, in pristinum locum & dignitatem restitueris, quantopere illius res omnes tibi curē fuerint, quando pacificatione facta cum Galliarum rege, promittebas, te simul & regem, datus operam, ut oppida quædam, quae dicuntur ad Ecclesiæ Romanæ patrimonium pertinere, manibus possessorum eresta, restitueretis eidem. Meministi, quanta fide & diligentia iuuueris ipsum eo bello, quod in Florentinos mouit acerbissimum: Recordaris, quo tempore

A D C A R O L V M V . C A E S .

pore Germaniæ Príncipes ac Ordines, grauissime  
conquerebantur de Romanensiū auaritia & tyran-  
nide, cum eorum, quæ cupiebant emendarī, capita,  
scripto comprehēsa, Pontificis legato exhibuissent  
in publico Imperij Comitio, tuamq; fidem etiam in  
eo, Cæsar, implorassent, recordaris inquam, ut in  
gratiam Pontificis hæc omnia dissimularis, sicut in  
quodam tuo scripto fateris ipse. Non excidit tibi,  
quam multa, pro dignitate eius tuenda, feceris in  
Comitijs Augustanis: Hærent adhuc impressi in  
animo tuo sermones illi, dubioprocul, quos è Ger-  
mania reuersus in Italiam, inde nauigaturus in His-  
spanias, cum eo contulisti Bononiæ, de publico in-  
dicendo Concilio: Non te fugit, quemadmodum  
ille post hanc collocutionem sit prefectus Massili-  
am, & ibi suam neptem in matrimonium dederit.  
Hoc an fecerit, quò pacificationem inter te, Gal-  
liaq; regem, proximis aliquot annis initam, con-  
firmaret, ac publicam orbis tranquillitatem utriq;  
commendaret, siue potius, quòd bellator ipse, ac  
uindictæ cupidus, cogitabat ignominiam superio-  
rum annorum, quando captus fuit à tuo milite, to-  
tam delere, tu, Cæsar, omnium optime iudicare  
potes.

Ecquid etiam Paulus Pontifex, in Ecclesiarum  
emendationem sit affectus, non potes non scire, qui  
diuersis temporibus, in collocutione cum eo, qua-  
tum uenisti. Præ se tulit ille quidem, superiori Sa-

S      baudico

## ORATIO SLEIDANI

baudico bello, cum inter te Galliæq; regem arde-  
 rent odia, quasi rem serio ageret, adeoq; concilium  
 indicebat. Siue autem id fecerit, ut hac ratione uos  
 reuocaret à cogitationibus belli, siue, qd rem, quæ  
 fieri non posset, moliri se uidebat ipse, hocq; solum  
 spectabat, ut saltē uiderent homines, per ipsum nō  
 stare, quomodo coiret Concilium, non facile quis  
 dixerit; Quanquam, ut posterius hoc credamus,  
 procluius est, eò quod post illam Niceæ factam  
 inter uos pacificationem, Concilij mentionem nul-  
 lam publicam iniecit, toto quadriennio. Si iam il-  
 lud idcirco fecit, quoniam eius aduersarij, Concili-  
 um ante indicum ab eo, reiecerunt, profecto non  
 est, quod ullam deinceps operam sumat in eo con-  
 uocando: Quia quæ causa tunc mouit eius aduers-  
 sarios, ut non admitterent illud, eadem nunc quoq;  
 manet. Nolunt enim ipsum ferre iudicem, sed res-  
 um agunt de grauissimis criminibus. Sin autem is-  
 deo tacuit, quod metueret, ne temporibus facti pe-  
 ritiores homines, Concilium quidem publicum nō  
 recusarent, sed ipsum è solio detraherent, & accusa-  
 tionibus cogerent respōdere, iam certè palam est, fis-  
 gmentum etiam illud fuisse & ludibriū, quod antea  
 præ se tulerat, adeoq; colligi potest ex eo facillimè,  
 nunquam ipsos de Concilio cogitare ex animo, sed  
 speculari solum temporis momenta, et tum demum  
 facere Concilij mentionem, ac spem aliquam ostendere,  
 quando uident omnino fieri non posse, ut  
 coeat.

A D C A R O L V M V . C A E S .

coeat. Quæ fuit enim alia causa, quod ante biennium, apud Tridentinos, illud cogi uoluit, nisi quod ipsissimo tempore, quo conscripsit illud, uidebat in te Galliæ Regem, omnia spectare ad cruentissimum bellum: imo sciebat alterum esse iam in procinctu? Quod ipsum non ignorant, qui spectatores fuerunt huius apparatus, & qui tempus obseruarunt.

Verum, ut maximè Concilium habeatur, certum est tamen, eos non admissuros ullam solidam, piam & necessariam emendationem. Habent enim hanc persuasionem, ut aiunt, quasi futurum speret, ut ipsorum aduersarij tandem agnoscant errorem, & ad Ecclesiæ Romanæ sinum redeant, & in eo conquiescant, sicut in postremo Ratisbonæ Comitio, cui tu, Cæsar, præeras ipse, Cardinalis Contarenus, à Pontifice missus, profitebatur. Quæ sola res argumento nobis erit, ipsos à Deo destitutos esse, inç sum ruere exitium, uelut mente captos. Quid tam crebra Comitia sint habita propter hanc causam? adeò multi præclarí uiri, summos exhauserint labores? tu quoq; Cæsar, uarijs multisq; cogitationibus & molestijs propterea sis defatigatus? ipsa Germania non semel in maximum discrimen adducta sit? & nunc tandem, post tam laboriosas, tædijq; plenas consultationes, tritum illud & uulgare, leue illud & ridiculum adferatur, futurum scilicet, ut isti redant ad mentem? Sed non sperant, quod dicunt,

S ij quin

## ORATIO SLEIDANI

quín potius extinctum cuperent totum istud doctrinæ genus, & deletos ad unum omnes, qui profitentur eam. Si spem istam habuerunt, cur infinitam hominum multitudinem, à plurimis nunc annis, tam acerbe sunt persecuti? Si principio, cum exiguus adhuc esset numerus & contemptus, non uenerunt in eam spem, id quod cædes ab ipsis perpetratae, satis demonstrant, quomodo credibile est, hanc spem in eis auctam esse temporibus, quando conspiciunt, omnes paulatim ordines ad defectiōnem spectare. Simulatus est igitur & fictus hic eorum sermo. Nam quia uident crucibus & flammis nihil quicquam effici posse, præ se ferunt aliquam moderationem, & commiserationis quandam præbent speciem, quum interea nihilominus pestem, & uirus præsentissimum in pectore circumferant. Qui uolet igitur natuam Pontificum indolem cognoscere, solum intueatur, & sibi proponat eos, quos uidimus ipsi & nouimus.

Verum quidem est illud, non fuisse omnes tam furiosos & amentes bellatores, quam fuit Iulius, tam perditos in omni genere uoluptatis & libidinum, quam fuit Leo: Non omnes tam insigniter perfidos & sceleratos, quam fuit Clemens, tam auaros & uersutos, quam est Paulus Tertius: Verum est istud, & largior. Sed illud probari potest atq; diceri, iam inde ab eo tempore, quo principatum in Ecclesiis obtinuerunt, ipsos omnem ingenij uim atq;

A D C A R O L V M V . C A E S .

atq; cogitationes eò contulisse, ut & falsam doctrinam, & impios cultus excitarent, & fierent quām locupletissimi, & splendide magnificeq; uiuerent, & imperarent omnibus, & fines ditionemq; suam amplificarent, & Regum Principumq; potestatem imminuerent ac debilitarent; Probari possunt ista dico, sed & illud, temporibus eos esse factos detersores, adeò quidem, ut humanę sortis obliti, diuinos propemodum honores & titulos non sint aspernati, quod luce meridiana clarius est. Quæ quidem superbia, tam foedè miscuit omnia, confudit & turbauit, tanta quoq; uitiorum & errorum colluuius ab hoc pestifero fonte redundauit in omnes orbis Christiani prouincias, ut hodie magni etiam uiri sae pius obstupescant, & secum deliberent, qua potissimum ratione, malum istud, tam tetrum & inueteratum, curari possit. Quod ipsum exemplo nobis esse debet, omniq; posteritati, ut uideant homines, quām horrendæ tenebræ nascantur ex ista licentia & temeritate, cum Euangelij doctrina rapitur ad quæstum, & in traditiones humanas omnino degenerat.

Socrates, ille, sapientię laude clarissimus, ait, tam esse hominis naturam, ut si potestatem omnem solus habeat, & pro suo arbitratu alijs imperare possit, euadat superbus, ferox, intolerabilis, ac plane tyrannus. Nec enim est cuiusuis, moderate & equa biliter ferre prosperū fortunæ cursum, Quicunq;

S iñ fuerunt

## ORATIO SLEIDANI

fuerunt igitur singulis temporibus laudati reges,  
atq; Principes non poenitendi, uiros bonos in consilium semper adhibuerunt, eorumq; secuti sunt auctoritatem. Cum enim unius arbitrio permittuntur omnia, fieri non potest, quin & impotenter, & seditione, & iniquè multa fiant. Pontifex uero, quia solus dominari uoluit omnibus, eamq; potestatem fibi non uerbo tantum usurpat, sed re quoq; uendis cat, non potuit non fieri tyrannus: Nec est, quod ullum speretur ab eo laudatum exemplum, quādiu consistet in eo licentiae gradu, quem hactenus obtinuit. Quæ cum ita sint, debes omnino prouidere, Cæsar, ut omnia tua consilia referas ad illustrandam gloriam Dei, & recuperandam Germaniæ tranquillitatem. Quod sanè fieri non potest, nisi ab illa Pontificia seruitute, in libertatem proclames, ac iusserandum illud uiolentum, tyrannicum, tibi, tuisq; maioribus extortum, & tuo splendore indignum, planè rejecias. Nam communis hominum salus, & Christi gloria, debent omnibus rebus humanis, maxime uero, priuatis paucissimorum quorundam usitatis, anteferri.

Siclamant, quod solent, & magno supercilio loquuntur de patribus, de concilijs & decretis, de longa consuetudine, de nauicula Petri, de sacrosancta Sede, ac Ecclesia catholica, nihil temoueant eis usmodi uoces. Hæc enim sunt illa suauia & blanda carmina, quæ multos in errorem & naufragia pertraxerunt.

AD CAROLVM V. CAES.

traxerunt. Hæ sunt illæ Syrenes, quas obturatis auribus, ut Vlysses fecit, præter nauigare oportet, ut evitetur periculum. Hoc enim semel certo statuendum est, omnium hominum opiniones, traditiones atq; scripta, debere esse consentanea uerbo Dei. Videlicet hoc in ciuilibus rebus, & ausus est scribere, Plato, cum affirmat, quæcunq; alia scripta, si diuersum sentiant à legibus, effereſcienda. Leges autem putabant esse Dei donū, & ideo tantam eis tribuebant authoritatem. Ex quo potest intelligi, quām non sine flagitio mutari possint illa, quæ Deus ipse, rerum conditor, ministerio Spiritus reliquit nobis, & scriptis cōprehendī uoluit, ut extaret, quod perpetuo sequeremur. Quanquam, si Pontifices, quiq; pendent ab eo, probandi sint ad normam ueterum Canonum & constitutionum, bone Deus, quām non queant locum suum tueri? Nam uiolarunt omnia salutaria decreta, neq; pudet eos, nihil eorum obseruare, nec id modo, sed gloriantur etiam, hoc licere, neq; posse ipsos ullis maiorum suorum legibus astringi, quòd par in parem nullam habeat postulatam: Idcirco liberum ipsis & integrum esse, ueteres abrogare, atq; sancire nouas, id quod diligenter & studioſe fecerunt etiam. Quocunq; enim ipsos rapuit avaritia, fastus & ambitio, non sunt ueriti, decretum aliquod, ipsorum accommodatum affectibus, edere & sancire. Quæ sanè res nec laudari potest, nec tolerari.

Nam

## ORATIO SLEIDANI

Nam quòd affirmant, pro ratione temporum  
mutari posse leges, minime iuuat causam ipsorum.  
Hoc enim ad politica solum referri debet, non eti-  
am ad doctrinam religionis. Iam uero, quæ sint of-  
ficia sacerdotum & Episcoporum: quomodo fami-  
lia, uxorem et liberos gubernare debeant: q̄ non o-  
porteat eos ullis rebus extra munus Ecclesiasticum  
immisceri: quām deceat eos esse remotos ab omni  
uel suspitione avaricie, libidinis, & sordidi questus:  
hæc inquam omnia sunt clare sacris literis expressa:  
Quòd autem nihil horum, ab aliquot nunc sæculis,  
obseruant: quòd semper in deteriora ruunt: quòd  
etiam hodie non dubitant affirmare, nunc aliam  
esse rationem, alia tempora, faciunt in eo nequiter,  
& à ueritate longissimè recedunt. Nec enim Biblī-  
ca solum scripta, sed etiam maiorum suorum pias  
& salutares constitutiones seruare debent, eò quòd  
magistratus, est, non dominus, uerum minister le-  
gis. Hoc si locum habet in omni Repub. ciuili, be-  
ne constituta, quanto magis ualere debet in causa  
Religionis. Quoties conduntur leges, oportet eas,  
ut Plato sentit, ita esse temperatas, ne unius alicui pars  
ti ciuitatis, aut factioni prosint, uerum, ut sint toti  
Reipub. salutares atq̄ utiles. Qui contrà facit, aut  
aliud spectat, hunc ait esse, non ciuem, sed pertur-  
batorem potius & seditionis, cuius decreta sint ab  
omnibus repudianda. Sed & illud addit, oportere  
magistratum, qui potestatem habet ferendi leges,  
erga

erga Rempub. affectum esse, quemadmodum parentes affecti sunt erga suam familiā & liberos, hoc est, illorū leges atq; constitutiones oportet sic esse temperatas, ut appareat, nihil eos aliud spectasse, quām populī salutem, ut nullum in eis deprehendatur malevoli animi ueltigium: Id quod Tyrannis propriū est, qui ferociter & imperiose mandant, nec tamen ullam probabilem, æquam, aut rationi consentaneam causam adferunt. Habendi sunt igitur & æstimandi Pontifices, tanquam seditionis ciues orbis Christiani, quoniam illa, quæ nunc à sacerulis aliquot fecerunt decreta, pertinent omnino ad ipsorum priuatas commoditates, & reliquis omnibus ordinibus planè sunt intolerabilia, ut constat, non ex librīs tantum, sed ex quotidianis ipsorum actionibus, quæ tales omnino sunt, ut negotium hodie facessant multis & præstantibus uiris. Nam inæqualitas illa magna, non potest non parere animorum alienationem.

Sed ecce, quando Pontificatus honorem suscipiunt, iureiurando confirmant, se se obseruatores, quæ pro dignitate Rom. sedis constituta sunt à maioribus, hoc est, inconsulto uel non assentiente Cardinalium senatu, nihil mutatuos. Hoc iusiurandum, si iam inde à primordio Rom. Ecclesiæ semper exitit, iam certè omnes, qui fuerunt à mille quadrinagētis, & eò pluribus annis, in periurium incurserunt, ut quī leges, latas ab Apostolo Petro, quem

T. primum

ORATIO SLEIDANI

primum ipsi commemorant ijs locis præfuisse, non  
obseruarunt; Si uero nullum tunc fuit tale iusituran-  
dum, sed longo pōst interuallo temporis introduc-  
tum est: profecto miseri sunt & omnino deplora-  
ti, qui non modo nihil recte agunt, uerum etiam eis  
usmodi uiinculo se constringunt ipsi, ne quid un-  
quam faciant ex officio. Notum est illud Iulij Cæ-  
sar is, & celebre dictum, si uiolanda sit fides, regni  
causa uiolandam esse. Memoria tenent hanc sen-  
tentiam nostri Pontifices, eamq; usu quotidiano si-  
bi familiarem faciunt. Veteres illos primorum E-  
piscoporum Canones, quia nimium erant frugales  
atq; philosophici, resciderunt omnes, ac eos, qui po-  
stea sunt ab ipsis, tanquam humanarum rerum pes-  
ritioribus, & hominibus politicis inuenti, diligens-  
ter obseruant. Et nisi quis hanc artem teneat, eos  
rumq; se moribus accommodet, aut si priscam alii  
quis tenuitatem & simplicitatem in usum reuocet,  
eum ferre non possunt, necq; desunt eis technæ, qui  
bus è medio tollant.

Nemo uir bonus & recti studiosus, uite genus  
ullum ingreditur, quod mores animumq; depraua-  
re possit, ac uelut extra se se ponere. Illud autem ui-  
tae genus, in quo Pontifices, ac tota Pontificiorum  
turba uersantur, haud dubie periculi plenum est,  
nec in eo possunt euadere meliores, quam tunc es-  
tant, quum susciperent illud. Suscipiunt autem os-  
mnes, non alia de causa, quam ut omnium rerum  
securi,

securi, splendide, & otiose, & molliter, & libidinose  
 uiuāt, in summis honoribus: utq̄ liceat ipsis, quod  
 libet. Nimis enim est notum, non esse quenquam  
 ex ipsis in ulla gente uel populo, qui suum faciat of-  
 ficiū; neq; te latet, Cæsar, quibus artibus & ra-  
 tionib; inuolent in Ecclesiarum opes. Tuis enim  
 aliorumq; Regum auxilijs & cōmendationibus eō  
 perueniunt. Illaudata ferē sunt & legibus etiam  
 prohibita, quibus utuntur, auspicio. Non potest  
 igitur, uel ipse dominatus, uel etiam exitus eius nō  
 esse teter atq; luctuosus. Ingenti sāpe calamitate  
 Deus puniuit Reges, qui uel per Tyrannidem, uel  
 seditiones, uel cædes, uel per largitiones, idq; genus  
 alias artes, in principatum inuaserunt. Quantò mi-  
 nus igitur hanc foeditatem & depravationem feret  
 in administratione Ecclesiastica, ubi, præter uirtus  
 tem ac eruditionem, nihil aut spectari debet, aut ua-  
 lere: Atq; interim tamen, quicquid decernunt &  
 mandant, hoc totum diuino numini tribui, & ue-  
 luti sacrosanctum haberi uolunt. Nimis hæc est  
 profecto magna temeritas, quam nec impunitam  
 sinet Deus. Quoties ergo Decretorum, Canonum,  
 & Ecclesiæ cōstitutionum faciunt mentionem, ex-  
 plicare debent etiam, de quorum temporum Cano-  
 nibus loquantur: quia pugnant inter se, quæ sunt  
 ab ipsis condita. Et quanquam priores leges emen-  
 dantur per posteriores, eisq; cedunt, longe tamen  
 est alia ratio, quantum ad Ius Pontificium pertinet.

T ij Nam

ORATIO SLEIDANI

Nam illa, quæ facta sunt ante mille, & eò plures annos, decreta, multò sunt meliora, quam ea, quæ ducentis annis postea sunt constituta. Breuiter, quò sunt propiores nostris temporibus, & nostrorum hominum memoriae Pontifices, eò deteriores considerunt Canones, adeò quidem, ut tandem intollerabilia quædam & execranda promulgauerint, quorum ipsos hodierno die pudere debet. Et tamen hæc ipsorum decreta, tam sordida, tam inepta, tam impia: primum aliquando locum in Ecclesijs obtinuerunt. Audeant eloqui tandem, ac diserte pronunciare, quos uelint intelligi canones, cum illos adeò ferociter obijciunt aduersarijs. Ignorant haudubile, quid sibi uelint, & ipsorum maxima pars, adeò sunt uel indocti, uel negligentes, uel occupati uoluptatibus, ut non magis noua, quam uetera legerint: Sed uerbis magnificis, & ad fucum ostētationem comparatis, nequitiam suam tegunt. Et hæc quidem dicta sint haec tenus, deiure iurando illo solenni, quod et si Tyrannicum est, & uiolenter extortum, tamen, etiam si tolerandum esset, non potest, nisi ad res licitas & honestas referri, ut ex Iurisperitorum libris multipliciter ostendi potest.

Ad hæc omnia, quæ commemorata sunt, aliud etiam accedit fortasse, quod rationes tuas, Cæsar, reddit impeditiores. Cogitas enim, ut est credibile, quod si quid abs te fiat, quo Pontificis animus offendatur, futurum id tibi minus commodum, ob

res

## AD CAROLVM V. CAES.

res Italicas , de quibus periclitari nolis . Magnæ sunt profecto Sathanæ , subtilescē artes . Ecce , quem in locum , res , ipsius industria consilio cē deductæ sint . Nonne paradoxum uideri debet , ac in primis absurdum , Ecclesiæ ministrum eō potentia peruenisse ; ut etiam summi reges ipsum obseruent , reueantur & colant , ut illius effrenem licentiam , ne uerbo quidem ausint reprehendere , tantum abest , ut cōcēreant , idq; metu , ne damnum ea res ipsis , & luculentum dispendium adferat ? Est ita sanè , quemadmodum non raro fortasse , Cæsar , cogitas , ut ei , qui uelit in Italia dominari , uel etiam sua tueri , propè sit necessaria Pontificis gratia . Sic enim omnia permiscet , turbat , inuoluit , subuertit , corrumpt ac labefacit , ut consistere uix aliquis in gradu possit , nisi fautorem habeat illum & benevolum . Multisæpe Reges ac Principes hoc ipsum experti sunt , necq; desunt hac ætate nostra , qui testari possint , quid ipsis acciderit . Hinc adeò fit , ut eius amicitiam uehementer expetant Monarchæ , ut modis omnibus operam dent , ne quam ei præbeant offensionis causam , id quod scriptura prænunciavit multis antè temporibus , aliquando futurum . Aspud Platonem contendit cum Socrate Adimantus , & putat in uitæ puritate & innocentia tuenda , plurimum esse laboris & fastidiij , parum autem emolumenti . Sic igitur statuit , oportere illum , qui diuitias consequi uelit , simulare quendam probitatem

T iij tis &amp;

ORATIO SLEIDANI

tis & uirtutis amorem : sed interim imitari naturam  
culpis, conuerrere & ad se rapere omnia . Causam  
hanc adfert, quod pauperum, etiam si uitæ sint intes-  
gerrimæ, nulla prorsus habetur ratio , & quod locu-  
pletes ubiçq; sunt honorati, licet nequiter uiuant, &  
iniquitate summa pararint opes . Habent, inquit,  
præterea diuites, non paucas rationes, uel tegendi  
suam improbitatem, uel tuendi, quæ habent bona,  
quando se uel affinitatibus, uel foederibus munis-  
unt, uel obtrusa pecunia sibi comparant parasitos  
& adulatores, qui uirtutes ipsorum passim celebrerit.  
Deinde, si quid admiserunt, quod pœnam mereas-  
tur, habent, unde possint corrumpere Iudicem .  
Quantum ad Deos pertinet, aut nulli sunt, ait, aut  
non curant res humanas, aut sunt aliquid, & curant  
quid homines agant . Si nulli sunt, aut si non respiz-  
ciunt res hominum, nihil refert, quomodo cuncti ui-  
uamus . Sin autem sunt, & intuentur nostra facta,  
certè placare possumus eos uictimis & sacrificijs,  
quia sunt placabiles & exorabiles, ut est in commu-  
ni omnium sermone .

Colloquium istud est, ut diximus, ethnicum,  
& confutatur à Socrate postea : sed eadem est plane  
ratio Pontificum . Etenim si uoluissent officio fun-  
gi, quod debent, & cuius titulo freti, tantas retinent  
possessiones, iam oportuisset eos docendo, monen-  
do, emendando, uarijs & multiplicibus ministerijs,  
maximos obire labores, tolerare multas uigilias,  
concoques-

AD CAROLVM V. CAES.

concoquere longa tædia , pati contumelias impro-  
borum , & pro summis beneficijs adfici probris atq;  
conuicijis : in uitæ quoq; discrimine non raro uersa-  
ri , quod p̄ijs uerbi doctoribus proprium est . Hæc  
inquam omnia subeunda fuissent eis , nec id modo ,  
sed de quauis potius re cogitandum eis fuisset ,  
quam de comparandis opibus , uixissent contenti  
mediocri tenuiq; fortuna . Sed quære , qui respon-  
deat , Pontificum certè generosus & immensus ani-  
mus , hanc seruitutem & sordes , ne dñgas quidem  
esse putat , de quib; cogitet : Platonis potius , uel  
Adimantis sententiam recipiendam esse putant . Vir-  
tutis & summæ sanctimoniacæ speciem sibi sumpse-  
runt , ita quidem , ut homines , maximè religiosum ,  
diuinum & sacrosanctum esse crederent , quicquid  
ab eis emanaret . Sub hoc tegumento , luporum &  
vulpium in dolem diligenter expresserunt , insidiati  
sunt , & omnium fortunis inhilarunt , rapuerunt ad  
se quicquid uspiam fuit bonorum , nec ullus est , no-  
stris quidem orbis populus , adeò remotus & longin-  
quis , qui non senserit eorum rapacitatem , ueluti ca-  
lamitatem quandam ubiq; grassantem , & omnes  
peruadentem agros . Postquam uero temporibus  
aucti , diuitias cum opinione Religionis coniun-  
xissent , tunc ex animi uoto cesserunt illis omnia :  
Fecerunt quod solent homines ambitiosi : Regum  
se fœderibus munierunt , & hoc consecuti sunt , ut  
colantur ab omnibus & celebrentur : Etiamsi tem-  
pestas

## ORATIO SLEIDANII

pestas aliqua nascatur, quæ naufragium minet, eam se putant tamen frangere posse uel mitigare, quādiu non destituentur aureo illo clauo. Quanta tum ad futuram & perpetuam uitam attinet, cogitant, ut ait ille, uel non esse Deum, uel non respicere humana. Neq; enim desunthiis temporibus, & sunt fortasse non pauci Romæ, qui putant, nullum esse Deum. Cuperem esse falso, quod dico, & optarem, iure me posse mendacijs insimulari, sed profecto sic plæriq; uiuunt, ut ipsorum actiones atq; mores comprobare uideantur, quod dico. Aut si sit Deus, & nostri curam gerat, quæq; sint hominum facta, dijudicet, certè credunt, facile ipsum posse placari consuetis sacrificijs.

Atqui, sub specie religionis non modo summas acquisiuit opes Romanus Tyrannus, uerum etiam adeò factus est ambitiosus & ferox, ut uicinum nullum ferre possit, potentem principem. Solus enim uult dominari, neq; nouum est, uidere magnates, ab ipso elisos & profligatos. Huc aliquando spectarunt, & Leo decimus, & Clemens, atq; hic quidem, cum te cuperet, Cæsar, omni spoliare Italia, diligenter cauit, in eo, quod contra te suscepit, fœdere, ut etiam si fortasse acciperes, quas ipse cum suis fœderatis atq; socijs tibi proposuit, pacis conditio[n]es acerrimas, ne tamen in Italiam ullo tempore accederes, nisi cum tanta militum manu, quantam ipse uellet ac præscriberet. Quænam haec tanta est auda-

audacia? Num Romanus Episcopus, quondam te  
 nuis & pauperculus: Cæsarum deinde munificen-  
 tia locupletatus, excludit Cæsares, atq; aditu prohi-  
 bet ab Italia, prisco & uerè nativo Cæsarum patri-  
 monio? Deploranda quidem sunt ista: Sed tamen  
 aliis est hodie rerum status, ita uolente Deo, cuius  
 inuestigari consilia non possunt. Et quanquam in  
 hac tota causa tam pia, tamq; necessaria, nullam te,  
 Cæsar, oportet rationem habere ullius uel emolu-  
 menti, uel rei prophane, tamē sic tua se habent nego-  
 cia, nihil ut magnopere debeas extimescere Ponti-  
 ficem. Tua est Sicilia: Tuum est Neapolitanum re-  
 gnum, aut& possessiones ac bona: Tenes Insubri-  
 am, opulentissimam regionem, Florentia, Gentia,  
 multæq; aliae per Italiam ciuitates, tuo parent impe-  
 rio. Pontificem tenes interclusum, ita quidem, ut si  
 moliri uelit aliquid, et genuinam suorum maiorum  
 indolem repræsentare, cohiberi tamen possit. Ita  
 quoq; uicinos & ordines omneis tractat, adeoq; se  
 gerit Pontificie prorsus, ut ad minimam occasio-  
 nem, facilí momento possint homines in eum exci-  
 tari. Sed nimium est callidus ueterator, & exercita-  
 tus in hac palestra, uidet quæ sit hodie rerum facies,  
 intelligit non obscure, quam graues habeat accusa-  
 tores: Et qua est uafricie, cogitat haud dubie, fieri  
 posse, ut Cæsar Romanus & Imperator Augustus,  
 tandem ipsis temporibus & rerum usu plurima co-  
 gnoscat, ut multa rectius intelligat, ut sublato furco,

## ORATIO SLEIDANI

Romanæ dominæ meretricis fœditatem & spuriæ  
tiem propius intueatur, ut contumelias, quibus is-  
pse, quibus ipsius maiores, ab ista Circe turpiter af-  
fecti sunt, uideat; ut animum adiçiat ad recuperan-  
dum ea, quæ per ipsos ablata sunt & auulsa malis  
artibus ab Imperio, & nunc honestiori titulo cen-  
sentur esse patrimonium Petri: Cogitat inquam, eō  
rem aliquando posse deduci, teq[ue] Cæsar, uidet hoc  
posse præ cæteris non incommode, qui per Italiam  
alioquilate dominaris.

Et certè cum sit Ecclesiæ minister, ut ait, iniquū est  
& turpe, et contrabonos mores, ipsum tenere ciuita-  
tes, arces, ditiones ac municipia. Mediocris fortuna  
debet esse contentus, & tandem oportebit, ut ex his  
duobus alterum eligat: ut uel regem & politicum  
aliquem principem se profiteatur esse, uel Ecclesiæ  
ministrum. Si prius illud eligit, discedat igitur à su-  
perbis illis et fastuosis titulis, non obtrudat, nō uen-  
dat orbi suas & sanctitates & beatitates, non patia-  
tur alios reges ad ipsius genua prosterni, tanquam  
adorabundos: continueatur ipsisdem legibus, quibus  
alijs principes omnes: non putet sibi quicquam lice-  
re plusquam alijs, pœnitentiam ipsum anteactæ turpi-  
tudinis & uitæ: fateatur, à se suisq[ue] maioribus or-  
bem terrarum esse circumuentum nefariè, nullum  
posse excogitari supplicium sati atrox, & dignum  
tantis flagitijs: ueniam supplex petat, & condona-  
ri sibi noxam flagitet ab omnibus hominum ordi-  
nibus;

## AD CAROLVM V. CAES.

nibus: & quemadmodum ferus antea fuit ac intollerabilis, ita sit deinceps mansuetus & submissus, & lenis, deçp omnibus bene mereri studeat. Sin autem curam Ecclesiæ suscipere uolet, proprium ipsius munus, hoc solum agat, agnoscat Cæsarem Romanū esse magistratum à Deo constitutum, eicp soli datum esse Ius gladij, quo malos coherceat, & hanc ciuilem hominum societatem in officio retineat. Facile enim hoc probari potest, quòd si Ecclesiæ ministro liceat exercere Cæsaream iurisdictiōnem, & obtinere parem cum Cæsare potestatem: Cæsari quoq; uicissim licere, Pontificium & Episcopale munus administrare. Nihil est priuilegij: Si quidem unus aliquis obire potest utramq; prouinciam, & alter potest: Nulla re discernuntur alia, q; cultu corporis & uestitu. Quod in contrarium adserant, nihil habent, præter emendicatum ius quodam, & consuetudinem, & temporis præscriptiōnem & possessionem. Nullum autem ferè tempus fuit, quo non aliqua sit eis mota controuersia super his rebus, tandem eò configurerunt, ut dicant, oportere Ecclesiam, sic enim loquuntur, habere possessiones atq; opes, quò aduersarijs resistat, & ius diuinum atq; sacrum defendat. Longè profecto petita, & uix tandem excogitata ratio. Verum, si officium illi suum diligenter fecissent, ac præter quam Ecclesiarum, nullam suscepissent aliam curam, id quod eos decet, non erat opus alio, quam Deo propugna

V ij tore:

ORATIO SLEIDANIA

tore: Qui sui nominis & gloriæ perpetuus est uīna-  
dex, nec eam opprīmi patitur, aut labefactari to-  
tam, sed extīctam reuocat in lucem, sic, ut magis  
quām antea splendescat, in eoq; tam non spectat ul-  
lum humanū subsīdium, ut etiā nolit nostris ui-  
ribus aut armis maiestatem suam defendi. Sed pro-  
fecto, non hoc agunt quod simulant hypocritē, sed  
aliud latet mysterium, cogitant, quomodo suam Ty-  
rannidem stabiliant et confirmēt. Huc omne studi-  
diū, operam & cogitationes referunt, hanc metam  
sibi semper proposuerunt, eoq; fastigij deuenerunt  
tandē, ut illa ipsa bona, quę nequiter consecuti sunt  
à regibus, īpendant in illorum exitium, eosq; suo  
ipsorum, quod dici solet, gladio confodiant. Hoc  
scilicet est ius illud diuinum, cuius meminerunt.

Et quoniam, is hodie est rex status, ut diximus,  
metuit inter alia, ne quis aliquādo Cēsar peritior fa-  
ctus, adimāt ei gladium, & hac eum exuat potestate  
quā multis iam sēculis in plurimorū perniciem con-  
uertit. Et sanè, si tolleretur instrumentum illud, qđ  
non patitur eum esse uirū bonum, multò felicius a-  
geretur cum ipso. Nam sicut ambitio, fastus & au-  
ritia, causam dederūt, ut ex uno flagitio delapsus in  
aliud, Antichristum nobis exprimat: ita quoq; fieri  
non potest, ut uel Petri uel Apostolorū successor ha-  
beri debeat, nisi redeat totus ad pristinū illud suum  
munus Ecclesiasticū, & cogitat, satis ipsi multum o-  
neris impositū à Deo, nec opus esse, ut regū se nego-  
cijs im-

A D I C A R O L V M V . C A E S .

eijs immisceat præterea. Quod si faceret, Deum immo  
mortalē, quanta molestia et difficultate liberaret ho  
mines, cogerentur eius exemplū imitari, quotquot  
ab eo pendent, eiq; sunt obligati. Multis magnisq;  
curis, tu quoq; Cæsar, liberatus es, quæ nunc te  
sollicitum reddunt, eò quòd propter Ecclesiasticas  
facultates atq; opes, magna sit inter ordines, & acer  
ba contentio, quæ quidem opes, in pios & necessaria  
rios usus couerti debent, in ministros uerbi, in scho  
las, in pauperes & miseris, in alenda iuuentutis stu  
dia. Nam qui nullam aut Ecclesijs aut Reipubli  
cæ commoditatem adferunt, non possunt ullum  
sibi ius in ea bona uendicare.

Plato saluberrimum esse putat consilium, ut  
qui ciuitatum gubernationi presunt, alantur ex pu  
blico, nec proprium quid possideant, duabus po  
tissimum de causis: Primum, ut Reipu. cōmodis &  
saluti prorsus incumbant. Deinde, ne quam habeāt  
occasionem, priuata potius amplificandi, quam  
procurandi publicas commoditates. Et quanquam  
nulla fuit unquam Respub. talis, neq; temere sit fu  
tura, sicut fatetur ipse, cui satis est, suam sententiam  
indicasse, tamen, si eiusmodi lex debeat in ulla Rei  
publica parte locum habere, profecto recipienda  
foret in administrationem Ecclesiasticam, præser  
tim, cum sacræ literæ consentiant, & nemo non ui  
deat, quò tandem omnia sint delapsa: postquam hic  
ueteris Ecclesiæ mos in contemptum & ludibriū

V ij uenit.

ORATIO SLEIDANIA

uenit. Si potuit hoc uidere homo Ethnicus, facile  
diuinare licet, quid sperandum sit, & qui sit futu-  
rus exitus harum, quas à multis nunc annis molis-  
mur, reformationum: quādīu non erit sublata  
causa morbi, quem curare uolumus & detectū pla-  
nē uulnus, cui cicatricem obducere cogitamus.  
Itaq; si cupiunt esse uerè Pontifices, quod audiunt,  
& uolunt eo, quem tenent, loco uideri non indigni,  
redeundum est ipsis ad priscam illam frugalitatem,  
redeundum ad labores & uigilias & animi perpe-  
tua exercitia. Durum quidem esse uidetur istud, sed  
tamen uerum est. Quanquam frustra sumitur om-  
nis hic sermo: Ne in mentem quidem eis uenit, ut  
huc descendant. Et quoniam graui multorum ho-  
mīnum odio laborant, lenitatem & benevolentiam  
quandam insolitam p̄ se ferunt. Deplorant infor-  
tunia sua, non quōd flagitorum & turpitudinum  
ipsos p̄œniteat, non quōd uitam emendare cupiāt,  
sed ut impulsis ad commiserationem animis, & in  
extremam odiorum acerbitatē uocatis aduersa-  
rijs, consistere possint in eo, quem reliquum adhuc  
habent, gradu. Nam adeò nihil eos p̄œnitēt anteas-  
tae uitæ, nullam ut rem magis deplorent, quām  
quōd totum hoc genus doctrinæ, non sit penitus de-  
letum, quōd pristinam dignitatem illam recuperare  
possint, & splendorem.

Quōd si forte dicent, se futuros non intracta-  
biles, & uelle quædam sanare; In tempore scilicet  
istud

AD CAROLVM V. CAES.

istud adferunt. Annis ab hinc uiginti, & eò plus,  
non modo non uoluistis, patres purpurati, petentibus  
hoc aduersarijs uestris concedere, sed ferro, &  
flamma, & omnis generis acerbitatibus, causam ini  
quissimam propugnastis. Vos illi estis, qui præter  
ius & æquum, plurimos uita spoliaastis: Vos illi, qui  
puellas & matronas complures, uíduas fecistis ante  
diem, qui pueros infantes orbaстis, quibus omnino  
carere non poterant, parentibus. Vos illi, qui tur  
bam hominum infinitam, in exilium ejectam, è ses  
dibus paternis expulisti. Vos illi, qui frenum inies  
cisti hominum sermonibus, et loquendi ademisti  
libertatem. Vos illi, qui, quos natura coniunxit, &  
sanguinis propinquitas, diremisti, & inuicem ar  
mastis: Vos illi, qui Germaniæ dissidijs & incen  
dijs perpetuam subiecisti materia: qui non ses  
mel estis conati, bellum in ea funestū & plusquam  
intestinum, excitare. Vos illi, qui Reges pariter os  
mnes, qui Cæsarem ipsum, uarijs artibus & Tra  
gicis plane uocibus, ad uim & arma estis cohortati.  
Etnunc scilicet, quando mirabili Dei consilio, mo  
dicum in armis præsidium esse uidetis, quando ra  
tiones uestræ consumptæ sunt omnes, quando pate  
factæ sunt artes atq; technæ, singulari quadam usi  
benignitate, permittitis, rerum domini, ut ineatur  
aliqua pacis ratio. Verumtamen, ubi sunt illa ue  
stra capita, quorum emendationem ferre potestis?  
Num eadem illa sunt, quæ nuper in illo uestro io  
culari

culari Víncentino Cócilio proposuistis? At qualia  
 cuncte sint illa, nulli tamen, nisi qui uoluisset pericu-  
 lum adire superioribus aliquot annis, liberum fuisset,  
 eorum apud uos meminisse. Negari enim non po-  
 test, multa uos fecisse crudeliter, ne quid omnino ue-  
 stri splendoris, luxus & ocij periret. Si nunc illa cu-  
 pitis emendare, saltem fateri uos oportebit, iniustis-  
 sima nece complures à uobis antea fuisse trucida-  
 tos. Verum, hæc ipsa capita, quæ & tunc in medi-  
 um attulisti, quasi corrigenda, & nunc, ut est credi-  
 bile, rursum adferetis, leuiuscula sunt, nec digna-  
 satis, quæ recitentur. Non in eo uertitur negocium,  
 & ridiculum est institutum uestrum: Sed hic est no-  
 dus ille, quem uos non attingitis, omnium uidelicet  
 calamitatum & perturbationum, quibus hodie  
 concutitur orbis, uos esse authores, et adeo conspur-  
 catam esse doctrinam uestram omnem atque uitam,  
 ut nihil omnino, quod salutare sit atque rectum, spe-  
 rari de uobis possit. Si uero non ad Iudificationem  
 instituistis illud Víncentinum Concilium, cur non  
 obseruatistis ea, quæ tunc uobis emendanda esse uide-  
 bantur, non reuera quidem, sed callide & insidiose?  
 Num ab eo tempore, lupæ sunt è uestris ædibus e-  
 iectæ? An impuram illam nundinationem, quam  
 exercetis in bonis Ecclesiarum, sustulisti? An uno  
 aliquo contenti estis Episcopatu? Num uel docetis  
 ipsi populum, uel saltem prouidentis, ut recte insti-  
 tuatur? an potius regum estis ubique sectatores?

Quid

AD CAROLVM V. CAES.

Quid à uobis expectandum est, qui solum ad fraudem & ludibrium intentos habetis animos? Cum erit similis uestra cōditio, qualis fuit Episcoporum eorum, qui sumptibus Imperij conueniebant ad illud celeberrimum Nicenum Concilium, cui Cæsar Constantinus prægerat: tum erit non difficile, nec incommodum, iniire uobiscum pacis & concordiaæ rationes. Certum hoc est, ipseç rerum exitus alii quando testabitur.

Quoniam igitur is rerum status est, Carole Cæsar, quia tetterimam isti stabilierunt idololatriam: quia sub hoc ipsum efferatissimæ licentiæ tempus, iniuriā ultius est Deus: quia doctrinam hāc, Romanæ Tyrannidis debellatricem, omnes hominum ordines, infœliciter hactenus oppugnarunt: quoniam eius doctrinæ aduersarij, non semel horribores tibi fuerunt, ut bellum susciperes funestum & ciuile: quia rebellionum & dissidiorum, ipsi per Germaniam sunt authores: quia deserto munere suo, prophanis & alienis immiscuerunt se negotijs: quia magistratum à Deo constitutum, uarijs adficerunt contumelijs: quia sacræ scripturæ uim fecerunt, eamq; deprauarunt ad defensionem suæ Tyrannidis, libidinum & auaritiæ: quia regum alunt dissidia, & simultatibus perpetuam subiiciunt matrem: quia summam uitæ licentiam & mores corruptissimos, Ecclesiæ titulo circumuestiunt: quia sic pergunt obstinati, nullam ut spem emendatio-

X nis præ

## ORATIO SLEIDANI

nis præbeant; quia causæ cognitionem legitimam defugiunt, & simulata Concilij mentione, controuersiam omnem eò reiçiunt, ut spem & expectatiōnem hominum eludant: quia demum tristes ubi que motus & turbas excitant, ut potentiam illam suam, nefariè acquisitam, retineant: Hæ profecto causæ mouerete, Cæsar, debent, ut ipsorum nulla ratione habita, negocium hoc religionis magnō studio complectaris. Nam existunt certa scripturæ testimonia, & signa minimè obscura, quæ nobis denunciant, iram Dei uehementer in illos inflammatam, & similem futurum esse ipsorum exitum, qui fuit eorum, quos propter impietatem & blasphemias, horribiliter singulis temporibus Deus adflicxit. Deserenda sunt igitur illorum castra, ne cum ipsis deprehensi, pœnam lucramus. Contulit tibi Deus innumera beneficia, & ea, quam uidemus, rerum immutatio, uidetur fato quodam in te, tuamq; domum incidisse: Quæ licet inter cæteras Germaniæ principum familias, illustris admodum & potens, & ampla, & copiosa, & honorata semper extiterit, ualde tamen aucta fuit & illustrata, magnâq; nominis gloriam est consecuta: Primum, quando Cæsareus honos in ipsam illatus est, quem sic gesit & administrauit, ut ab eo tempore, quo ius Imperij in nostram nationem transiit, in nulla principum tribu, tam multi fuerint Cæsares, quam in hac uestra. Sic enim hæret, atq; continuo progreditur, à multis

A D C A R O L V M V . C A E S .

à multis nunc annis , in ea , splendor iste , quem diximus , & honos , ut quanquam hæreditaria successione transmitti non potest , longo tamen ordine uideatur nunc illi factus esse peculiaris , ac propè gentilius .

Creuit deinde matrimonij , quando tuus , Cæsar , auus Maximilianus , Caroli Burgundionum ducis filiam unicam , plurimarum ditionum & florissimarum hæredem , uxorem duxit , inuitis & resistentibus aliquot , summa potentia præditis aversarijs : Qui quidem , si per affinitatem & connubium , illas ipsas ditiones , cum suis prouincijs consunxissent : quod & minimè difficile futurum erat , & multi suadebant , & non semel deliberatum fuit , non te , Cæsar , hodie conspiceremus ita florentem , nec in isto dignitatis gradu collocatum . Sed qui rem omnē , ut est gesta , proprius intueri uoleat , haud dubie comperiet , in fatis ita fuisse , ut uestra domus in immensum cresceret . Nam etsi præclara sit accessio illa , quando per eas nuptias , Austria fuit consueta Burgundie , & non exiguae parti Galliae Belgicæ : multò maior tamen ea fuit , cum idem Maximilianus , è coniuge Burgundica natum sibi filium Philippum , parentem tuum , Cæsar , matrimonio iunxit Ferdinandi Hispaniarum regis , potentiss . principis , filiæ hæredi . Qua quidem ratione faciūt est , ut quicquid Carolus proauus , & quicquid Ferdinandus auus tuus maternus , unquam possederūt ,

X ï id tos

## ORATIO SLEIDANI

id totum in te unum, cumulate peruenierit, ita quia  
dem, ut quia multitudine prouinciarum, & amplitu  
dine editionum, & latissimis regnorum finibus, in  
haec nostra Europa conferri tecum possit, nullus ex  
istat princeps. Atque te talem, tamquam late regnantem,  
& his rationibus auctum, Cæsarem esse uoluit Deus  
us: Et sicut familiam tuam, continuis honorum gra  
dibus, & incrementis opum, singulari quodam  
consilio amplificauit, ita quoque sub Imperij tui pri  
mordium, exoriri uoluit hanc præsentem conuer  
sionem, qua pījs mentibus nihil aut iucundius, aut  
optabilius potest euenerī:

Paucos & illustres quosdam, singulis tempori  
bus, heroas excitare solet Deus, quum insignis alii  
qua rerum impendet cōmutatio. Cyrus ad hoc in  
stituit & delegit, ut ab ipso restitutus libertati popu  
lus Israēliticus, & è captiuitate solutus, inquit patrīam  
remissus, templum illud, toto terrarum orbe cele  
berrimum, ab Assyrijs & Babylonij dīrūtūm, rea  
dificarent. Hunc ipsum uoluit esse potentissimum,  
Medorum & Persarum regem, & hanc eius tantam  
benignitatem in Israēlitas, aliquot sēculis antē præ  
dixit, quam natus esset. Eum plurimis deinde in  
teriectis annis secutus est Alexander, ob imperij res  
rumque gestarum amplitudinem, Magnus appellat  
us, cuius uictoriæ omnes erant fatales, minime ob  
scuri uerborum tegumentis, à Daniele prænunci  
atę. Aliquot post temporibus exuscitatus est Ius  
lius

## AD CAROLVM V. CAES.

Ius Cæsar, qui multis rebus fortiter & præclare ges-  
tis, author fuit, ut qui erat antea popularis Reipu-  
Romanæ status, commutaretur in Regium proprie-  
dominatum. Neq; multò post hanc imperij muta-  
tionem, exortus est ille iustitiæ Sol, redemptor &  
seruator noster. Ille uero dominatus, ut populi Ro-  
mani libertatem adflicxit, ita quoq; doctrinam & re-  
ligionem, à liberatore nostro constitutam & relictā,  
acerrimè persecutus est, ad trecentos circiter annos:  
Quo tempore, Cæsar Rom. Constantinus, Euau-  
geliū doctrinam complexus fuit, qui & ipse, propter  
egregie fortiterq; administratam Rempub. Magni  
cognomen adeptus est. Longo deinde pōst inter-  
uallo, prodijt Carolus, è Francorum natus familia,  
sub quo & diuīsum est Imperium, & Pontificatus  
insigniter auctus fuit atq; locupletatus: Quorum  
utrumq; magni sanè est momenti, & inter humanar-  
um rerum uicissitudines, mīnimè postremo loco  
recitari debet. Hic autem Carolus, & si magnitu-  
dine ditionis, cū prīscis aliquot Imperatoribus con-  
ferri non poterat, tamen ita rem gessit fœliciter, ut  
Imperium Romanum, iam antē collapsum & de-  
perditum, recuperasse quodammodo uideretur.  
Ab huius familia transiit ad Saxones Othones, Im-  
perij dignitas, & qui fuit postremus eius nominis,  
laudatissimus princeps, hoc perfecit, ut penes no-  
stram gentem & nationem hodie sit potestas, crea-  
di Cæsares. Quod ipsum quoq; referri debet inter

ORATIO SLEIDANI

res maximè memorabiles. Ethac quidem potestas  
in nostro populo iam hæsit, supra quingentos an-  
ños, in hoc usq; tempus, quo tu, procreatus ex nobis  
lissima principum Austracorum domo, breui tem-  
porum spacio mirabilem in modum amplificata,  
factus es Cæsar, non ex Imperij quidem ditionibus,  
cuius uix umbra habemus, uerum ex tuo ipsius pa-  
trimonio, & auitis possessionibus, longe potentissi-  
mus. Quo in tuo magistratu considerandum est in  
primis, ut non semel antea diximus, quod hæc tam  
illustris, quam coram uidemus, rerum conuersio,  
incidit in regni Imperij tuī primordium. Quæ res  
prudenter examinata, cumq; superiorum temporū  
collata historijs, fidem hauddubie faciet, instituisse  
Deum, te Cæsare, magnum quiddam & conspi-  
cum, in quod tota respiciat posteritas.

Quod quum ita sit, reliquum est, ut cogites, te  
datum esse ab illo, ad salutem eorum populorū, qui  
bus te præesse uoluit. Optamus certè omnes, ac pre-  
camur Deum, ut quemadmodum Cyri animum  
olim emollijt, & ad sui populi liberationem accom-  
modauit, ita quoq; te his nostris, nimirum adflictis,  
& ferè deploratis temporibus, salutarem esse uelit  
principem. Ethoc eò uehementius optamus, quod  
maior in te prudentia, mansuetudo, & humanitas  
animaduertitur. Nam etsi nemo dubitauit hac-  
tus, quin aduersarij Pontificij, omni genere machi-  
narum conarentur te perpetuo ad bellum incitare:  
nunc

AD CAROLVM V. CAES.

nunc tamen ita sunt patefacta ipsorum consilia, ut certò statuendum sit, esse Deum, qui mentem hanc tibi dedit, ut, cum à multis nunc annis, tam uscire, tamq; multipliciter sis ad arma sollicitatus: nihil tamen hactenus institueris, ab æquitate aut ratione dissentaneum. Et sicut ad solam mentionem earum coniurationum, quas tacite nonnulli & occulte suscepereant, omnes concordiaç cupidí, exhortescunt: ita quoq; te, Caesar, admirantur, & magnis laudibus extollunt, qui tui munera & dignitatis memor, omnibus modis laborasti, ut quod excitare illi in patria cupiebant incendium, opprimeretur. Maximam igitur immortali Deo gratiam habemus, primum, quod actiones consiliaç tua sic hactenus gubernauit, ut nullum impotentis animi uestrigium in eis deprehendatur: deinde, quod in huc usq; diem, uitæ tuæ cursum deduxit, quo uidere potes atq; iudicare, non esse nihil, quod illi, à quibus antehac alienior fuisti, non tam tua quadam sponte, quam impulsus ab alijs, causam istam, à multis nunc annis, non habita ulla ratione periculorum, adeò constanter & masculè tuentur.

Primus felicitatis gradus est, intelligere, & sequi uocem inuitantis ad se Dei, proximus, non obsurdescere, nec obstinatè repugnare. Talibus enim ingenij ignoscit Deus, & precibus interpellatus, doctorem illum Spiritum tandem largitur, quamdiu non malitia, sed ignoratione & simplicitate pec-  
catur:

ORATIO SLEIDANIA

eat: ad eamq; rem tempus & ocium sape concedit, quod tibi, Cæsar, contigisse letamur: Qui post multam huius causæ, quæ controuertitur, tractationem, statuere nunc demum aliquid potes, quando multipliciter illustrata ueritas, & eorum, qui accusantur, nequitia, sic est patefacta, ut iudicatio lis tis, nullam in se magnam habeat difficultatem. Et quanquam immanes illæ & atroces, quibus diuina maiestatem affecerunt isti, contumeliae, uehementer & inprimis te commouere debent, tamen non est dissimulanda etiam, uel obliuione præterea unda, iniuriarum magnitudo, quas intulerunt, singulis temporibus, & Imperio, et eius prefectis, tibi, tuisq; Cæsar, maioribus.

Illam orbis terrarum debellatricem, urbem Romanam, in qua tot fulserunt lumina, tam insignes & præclarí uiri; quam summa prudentia uitæq; temperantia rexerunt aliquando Brutus, Camilli, Cincinnati, Fabij, Scipiones, Catones; illud priscæ uitutis domicilium, & Cæsarum deinde sedem, nefarijs artibus tenet & occupat hodie, Cæsarum perpetuus hostis, mollis, & semiuir, & effeminatus negotiator. Nec solum occupat, sed ius etiam hæditarium in illam sibi uendicat, & legitimum dominum adeo non admittit, ut eius dignitatem omnem à sua penderedicit authoritate. Ille, quondam toto orbe celeberrimus Senatus, quem conspicatus quidam Pyrrhi Epirotæ legatus, dicebat habere totidem

## AD CAROLVM V. CAES.

dem h̄i Reges, quot essent in eo patrīcij, Deum immortalem, quantum est hoc tempore immutatus. Sedent in eo, homines noui, quorum h̄æc est præciz pua ferè & sola cura, ut res alieno labore partas, in summo luxu & ocio, uitæq; mollicie & turpitudine cōsumant, ut orbis Christiani prouincias expilent, ut sub Ecclesiæ titulo quiduris audeant. His sunt noūi illius dictatoris consiliarij, & Senatus præsides, qui propter Ecclesiārum administrationem, ut præse ferunt & simulant, in eum ordinem asciti, faciūt, quod olim Romani Senatores fecerunt: Administrant prouincias, & emandantur huc illuc, tanquā proconsules, & legati, & Tribuni. Cumq; ipsorum functio sit planè ciuilis, & plusquam prophana: suæ astamen interea nobis obtrudunt sanctitatem, eoq; nomine patiuntur se tantum non adorari. Et faciunt hoc in tuo, Cæsar, conspectu: nec id modo, uerum etiam suas foeditates dextra tua defendi uolūt. Quousq; tandem ista perferentur: An hanc tantam audaciam nemo unquam cohercabit? Deus pater, ut iræ suæ uim atq; magnitudinem nobis ostenderet, licentiam hanc, & summam improbitatem in nos grassari permisit, & ita passus est, ingenij nostri aciem omnem circumfundī tenebris, ut etiam mutata rerum natura, & conditione, quod uitiosum erat & nefandum, & impium, nobis uideretur esse piuum, honestum, & sacrosanctū. Nunc uero, postquam pro immensa bonitate sua nos ite-

Y rum

## ORATIO SLEIDANIA

rum respexit, & eripuit ex illa densissima rerum ignoratione, clara uoce inuitat, ut hoc tantum eius beneficium agnoscamus, ne conduplicata nostra delicta, cogant ipsum ad seueriorem pœnam, & medicinæ spem omnem auferant. Quæ sit ipsius uolutas, & quid à nobis requirat, consignatum reliquit in suis monumentis, quæ ministerio spiritus ad omnem posteritatem transmisit, ut extarent sempiterna de ipso documenta & testimonia. Futuram etiam ueræ doctrinæ miserabilem & horrendam uastationem, & exorituram in Ecclesia tyrannidem quandam, omnium maximè insignem, in postremis temporibus, diserte prænunciavit; Et ea ipsa loca, quibus hæc uaticinia continentur, obscura præuis, in magnis illis doctrinæ tenebris, nunc etiam inter alia sic patefecit & illustrauit, ut nihil amplius dubitari possit, quam rem atq; personam designet. Sed & uim illam & iniurias & contumelias, quibus Imperium Romanum, & magistratum à deo constitutum, à sacerulis iam aliquot, Romani Pontifices affecerunt, eadem uaticinia comprehendunt. Et ut nullum extaret scripturæ testimonium ea dere, tamen, si doctrinam ipsorum, & constitutiones, & disciplinam, & uitæ licentiam quis intueatur, fieri nō potest, quin totus horrefeat. Nisi enim essent à Deo planè reieci & destituti, non laberentur omnes in eam mentis uesaniam, & hæc tanta, tamq; manifesta flagitia. Sic enim se comparant tota uita, quasi,  
qui

A D C A R O L V M . V . C A E S .

qui locum illum & honoris gradum tenet, hunc oporteat, in omni genere nequitiae singularem & excellentem esse.

Respice, quæso, Cæsar, in actiones illorum, qui sunt, quiq[ue] fuerunt hac tua ætate. Num aliquid solidæ uirtutis, aut sanctimoniae specimen in eis unquam deprehendisti? an non potius meram hybris pocrisim, ficta & simulata, & ad fraudem omnia composita? Si dissiparunt Imperij robur: si semper eò spectarunt, ut Regum uires infirmarent; si turpibus & illaudatis rationibus has tantas opes consecuti sunt: si non solum tuos maiores omnes, uerum te quoque, Cæsar, ipsum, indigne tractarunt, ita quidem, ut criminationibus illorum in te confititis, edito scripto sis coactus respondere: quid constaris, aut in quam meliorem spem uenire potes? Frustra sumitur omnis labor. Nam eum uitæ cursum tenent, quem scriptura prædixit. Armis quidem & uiu non opprimentur, sed Euangeli prædicacione sic patetient & agnoscentur indies magis atque magis, ut nullus unquam in orbe terrarum extiterit tyrannus, qui tam illustre, tamque pudendum sui spectaculū præbuerit, q[ui] isti. Porro, si cutire diuinæ signum fuist, q[ui] diu uersabamur in illa crassissima caligine, ita quoque benignitatis & clementiae paternæ indubitatum est argumentum, quando depulsis hodie tenebris, iucundissimo solis aspectu fruimur. Pro quo tanto munere, nihil aliud à nobis res-

Yij poscit

ORATIO SLEIDANI

poscit Deus, quām ut agnoscamus illud, & reue-  
renter complectamur. Quod ut facias, uehemen-  
ter optant omnes piæ mentes, eoç magis, quò ma-  
nifestæ ueritati furiosius repugnare uident aduer-  
sarios: Qui nulla possunt expleri crudelitate, sed de-  
lectantur cædibus & flammis, auellunt matres à fi-  
liarum amplexibus, filios tantum non in conspectu  
matrum excarnificant, maritos ab uxoribus & libe-  
ris auulsos, in teterimos carceres abſciunt, & qua-  
si omnem humanæ conditionis sensum deposui-  
sent, ita ſeuunt: Dominantur animis hominum,  
& loquendi facultate priuant eos: Affirmant, non  
licere cuiquam, his de rebus extra Concilium age-  
re, & tamen ita ſe gerunt, ut Concilijs ſpem omnem  
præcidant, & auferant.

Has miseras orbis Christiani respice tandem, po-  
tentissime Cæſar, Neq; te moueat ista prophana &  
Epicurea ociosiflormorum hominum turba, qui nul-  
la officij charitate tibi ſunt commendati: Sed in pa-  
triam & in Imperium totus intuere, cui datus es à  
deo gubernator, cuius in columitas atq; ſalut, tacito  
quodam, ſed uehementi tamen & acri naturæ im-  
pulſu, tibi eſſe debet longè chariſſima. Quia late ad  
modum dominaris, nec uni ſolum populo præſ,  
impeditæ ſunt rationes tuæ, non dubium eſt: Ali-  
ud enim Hispania requiriſt, aliud Germania petit,  
aliud Romanus ille negotiator postulat. Vt hiſ o-  
mnibus humanum ingenium, & prudentia ſatisfac-  
iat,

## AD CAROLVM V. CAES.

ciat, omnino fieri non potest. Vnica solum est uia,  
nec alia præter hanc inueniri potest, ut scilicet, nul-  
lius externæ rei, quantacumque sit, habita ratione, Dei  
duntaxat ueram gloriam quaeras, eiisque cætera com-  
mittas omnia. Maximum in ea re subsidium & ad-  
iumentum tibi præbebunt plerique omnes Imperij  
principes ac ciuitates: Viam patefacent, & iter ex-  
plicabunt, qui per Germaniam sunt magno nume-  
ro, uiri docti & pii: Quorum omnium illud est com-  
mune uotum, ut qualem Deus per ipsos mirabiliter  
propagauit doctrinam, eam tuo patrocínio conser-  
ues, ac multis nominibus adflictæ patriæ succurras.  
Qua in re tanto maior cura tibi suscipienda est, quod  
sæpius & grauius hæc Imperij portio, quam serua-  
mus adhuc reliquam, oppugnatur ab externis, iisque  
firmissimis hostibus: Quorum armis ita se labefac-  
tari posse uidet, ut tam potenti Cesare, quam tu es,  
uehementer sibi opus esse sentiat, eoque suam salutem  
lachrymans & ingemiscens tibi commendat, quasi  
futurum sit, ut aut tuis, amplissime Cesar, auspicis,  
hostilem impetum a se depellat, aut plane corruat,  
& plagam accipiat non sanabilem: præsertim, cum  
nullis unquam temporibus, tam uaria, tamque ma-  
gna extiterint indicia futuræ mutationis, & insig-  
nis in ipsa conuersionis, quam hodierno die. Pace  
quidem nihil melius, nihil est optabilius. Ea uero  
Pontificis intercessione constituta, num firmas &  
ueras habitura sit radices, omnino dubitari potest.

Y ij Nam

ORATIO SLEIDANI.

Nam aut bellis perpetuam illi materiam suppeditant, ut nimirum notum est, aut, cum pacis consiliarij sunt, magnum aliquid suum spectant emolumen-  
tum, & id solum. Quę uero priuatim ipsis prosunt,  
eiusmodi sunt, ut ad publicum orbis Christiani, &  
omnium aliorum ordinum dedecus & detrimen-  
tum pertineant. Deum precor, consilia tua sic gu-  
bernet, ut emendatis uitis, & sublati causis, pro-  
pter quas & bella nobis, & alias immittit calamita-  
tes, ocium Europae & tranquillitatem recuperes,  
quę nunc miserabiliter uexata, sustinere diutius has  
tantas ærumnas non poterit. Quod superest, ut  
sententiam meam, hoc scripto comprehēsam,  
in optimam partem, Cæsar, & cle-  
menter accipias, etiam atq; etiam  
obtestor,

ERRATA, Q VAE IN  
ter emendandum fefellez  
runt.

Pag.	Vers.	Lege
B 6	11	ipsorummet.
D 1	27	q̄ uidere.
D 7	27	& id genus,
H 3	4	auferti.
H 7	20	profiteantur.
I 5	21	ditionis.
N 6	27	qualem.

Argentinæ apud Cratonem Mys  
lium, Calend. Augusti,  
Anno  
M. D. XLIII.

186 3536

